VELLEIVS PATERCVLVS


NOVISSIME RECOGNITVS

EMENDATVS ET ILLVSTRATVS

PRAEMITTVNTVR HENRICI DODWELLI

ANNALES VELLEIANI

STUDIIS SOCIETATIS BIPONTINAE





EDITIO ACCURATA

BIPONTI apud PETRUM HALLANZY

CIↃIↃCCLXXX.

MAGNO PALATINO AD RHENVM

BOIORVM PRINCIPI POTENTI

ELECTORI

CAROLO THEODORO

PRINCIPI PACIS

GENTIS AVGVSTAE PRAESIDI

PARENTI PATRIAE GEMINAE

LITERARVM ET ARTIVM REDVCI

SACRVM

LECTORI.

VELLEIUM PATERCULUM[1] Lipsii exemplo, Principi historicorum *Tacito* comitem damus, tamquam in historia praecursorem, eumque a veriori illo rerum Tiberii scriptore castigandum. Scriptionem vero hanc, destinatum M. Vinicio munus, deproperavit in annum, quo ille consulatum gessit, si cum Dodwello Ann. §. 29 aeram Varronianam sequaris, ab V. C. 783, aliis pro varia Romanae aerae ratione a. 781 vel 782 dicentibus. De ipsa scriptionis forma et ambitu, seu de titulo *historiae Romanae*, scrupulos movit I. Lipsius:[2] *An haec* (inquit ille) historia? *imo nec compendium proprie aut breviarium historiae, sed serie accurata temporum chronicae quaedam notae. sic tamen, ut praecipua rerum, hominum, urbium misceat atque excerpat. An etiam* Romana *tantum? et totum adeo priorem Librum, video occupari fere in rebus Graecanicis atque externis. quod magis diceremus, si integer ille exstaret.* Quemadmodum vero Lipsio fere concedimus, quod ad formam scribendi attinet, cum Velleius non tam narrationem rerum continuam, cui Sallustii maius ingenium, Taciti-

1. *Praenomen omisimus, quod in incerto est. Quod Aldo Manutio P. F. visum est* Caius, *id denuo repetivere P. Burmannus et D. Ruhnkenius in edd. suis. Aliis placuit* Publius, *quod legitur ap. Tacitum Ann. III, 39; ex quo numero est I. A. Fabricius in Bibl. Lat. L. II, c. 2 edit. Ernest. vol. II, p. 16. Alii, quorum princeps est Gerh. Vossius, ex quibusdam Prisciani codd. repetunt* Marcus. *Nos cum aliis nihil definire malumus.*

2. *De indice et materie cet. librorum Velleii; post huius vitam.*

que altior mens et animus suffecissent, quam quandam rerum et hominum, quae transcurrenti rei Romanae tempora prae ceteris notabiles videbantur, significationem instituerit: ita quod alterum dubitat Lipsius, in eo facile accedimus iudicio Boecleri [3]: *Non assenserim Lipsio de argumento operis. A Troiano excidio orsus, ambitu quodam, nescio an satis excusato, ad primordia rerum Romanarum ingressus, ab externis inserendis postea abstinuit, quod facere non potuisset, si* πραγματειαν καθολικην *in animo habuisset. Nam quae de illustribus ingeniis libro priore intexuit, per excessum dicta sunt. Neque magnitudinem operis tantam animo conceperit, quantam Lipsius, qui de scripturae modo et brevitatis, quodam quasi transcursu omnia dicendi, serio cogitaverit.*

Ex libro quidem priore maxima pars periit, ita ut hodie desint et caput libri, et in medio c. 8 sexcentorum annorum res. Finem vero libri fecimus c. 13. Qui enim tum interponuntur loci, absoluto opere scripti sunt, quod ipso Velleio praeeunte significavimus p. 118 et 121. Libro II capita historiae Romanae inde ab aemula Romae Carthagine sublata satis eleganti brevitate complexus est usque ad ea tempora, quibus, cum potentia Romana ad I. Caesarem, mox ad Augustum, ut ad unum, transire coepisset, obsequium, quod in aulicis hominibus et militibus effusius esse solet in Principem et Imperatorem, adeo Velleium praecipitem dedit in scribendo, ut historici fidem sibi in plerisque detraheret; tandem in foedas sane adulationes Tiberii sui Principis, et quem is sibi legerat ministrum ac participem dominationis, Seiani, delaberetur. Vel-

1. *In Annot. ad Vell. p.* 10. *ed.* 2.

leius quidem eo male apud omnes audit; ſed et graviora ei impinguntur, quam meritus eſt. Sic turpiſſimo mendo irrepſerat c. 125 male dictum de Germanico, quaſi is in illa legionum in Germania ſeditione ab Auguſti obitu mota *pleraque ignave* geſſiſſet; quod quidem et ab ingenio aulici hominis et a re ipſa et ab oratione Velleii alienum videri debuit, nos lenius et verius in *pleraque ignovit* emendavimus. Parcius quidem noſter laudabat heroem, in quem clam Tiberius invidia ardebat; ita illum laudabat, ut eius laudes ad Tiberium tanquam praeceptorem referret: ſed filium Tiberii adoptivum, diſſimulante ipſo Tiberio iras ſuas, et palam laudante Germanicum, etiam vituperatum fuiſſe a Velleio aulico, quis credat? Paterculus profecto ſenſu honeſti, non illius, quod expreſſit Salluſtius et expromſit Tacitus, ſed quod in oculis animiſque omnium eſt, bene inſtructus erat, eumque in moribus hominum geſtiſque deſcribendis ſemper adhibet. Quis maiora deſideret in milite aulam ſectante? Atque is inciderat in ea tempora, quibus nemini liberum erat, ſentire et dicere, quod verum videbatur, quibus quiſque in loco timebat Principis ſuperbi et tecti iras, et Seiani potentiae ſocii libidinem. Quis verus vir, ſi ipſe eſſet Tacitus, non in tali tempore deterreatur a ſcribendo? et quod decorum ingenium non timori et adulationi cedat? Sibi quidem ipſe Velleius, in neceſſitatem adulandi demiſſus, ſuaeque orationi vim afferre videtur, in laudando ſupra modum Tiberio, qui ſuas laudes habebat et melior forſan Princeps futurus fuiſſet, niſi ipſa progenies Romanorum nunc vitioſior obſtitiſſet. tanquam animo in anguſtias redacto noſter tum oratione affectata et atrociori utitur, proiicit ampullas et ſeſquipedalia verba. Sed ſatis ſit, de his dixiſſe.

Qui plura de Velleio, eius origine, vita et scriptura, tandem de exitu, quo ille in strage illa Seiani, anno post hanc scriptionem, periisse, adeoque praeventus fuisse videtur, quo minus illud saepe a se promissum historiae Romanae iustum opus ederet; adeat Dodwelli annales, aut cui hos consulere non lubet, synopsin chronologicam, quam post Cellarium aliosque illis subiecimus, auctam a nobis tabula, qua notitias de familia Velleiana colligere conati sumus.

Index Editionum.

Aetas I. Velleii Paterculi Historia Rom. ad M. Vinicium Cos. L. II, quantum ex iis superest, innotuerunt uni ex Cod. unico MS. Maurobacensis in superiori Alsatia monasterii; quo diligentes et docti Viri Beatus *Rhenanus* et Io. Alb. *Burerius* ita usi sunt, ut ille ederet Velleium, hic editum denuo ad MS. conferret et varr. lectt. adnotaret. Utriusque igitur operae debetur suo modo

1 Editio princeps B. *Rhenani* s. Basiliensis I apud Froben. 1520 fol. In margine libri Rhen. notas breves addit. Sed ad calcem subiiciuntur variae lectiones e Cod. vetusto collectae, a Io. Alb. *Burerio*. Quae quidem editio hoc magis pro Codice habetur, quod ipse MS. Cod. dein deperditus esse fertur.

2 per Ant. *Bonhomme* Avenione 1532 fol.

3 Iuntina.

4 Paris. apud *Vascosanum* 1538 cum Appiano ex Candidi versione latine excuso, in qua etiam passim ab edit. princ. discessum.

Aetas II ab *Erasmo*, qui textus Rhenani desertor, saepe emendator exstitit, nomen habet. Post

cuius (obiit 1536) mortem demum prodiit illa, quam alios dein editores secutos esse notat Gerh. Voss. ad Velleii L. II, c. 75. Plura quoque bona in Vell. contulere hac aetate *Manutius nepos*, *Schegkius*, *Sylburgius*, *Acidalius*, *et Lipsius*, mox novae aetati lucem allaturus.

5 Basiliensis II vulgo *Erasmica* I ap. Froben. 1542. Vossio consulta.

6 Basiliensis III *Erasmica* II 1546 fol. cum Suetonio, scriptt. hist. Aug. a Burmanno consultam notat Ruhnkenius.

7 Basiliensis IV *Erasmica* III 1548.

8 Lugdun. Seb. *Gryphii* 1552 8 cum Floro, (Io. Camertis) Sexto Ruffo, Messal. Corv. et Eutropio.

9 Parisiensis 1560. 12. c. Floro etc. Io. Camertis.

10 Henr. *Stephani* Paris. (inter scriptt. latt. hist. Rom. 4 voll. 8) cum Sigonii fastis cons. Quod Velleii exemplum c. iisdem fastis s. l. et a. sibi ad manus fuisse et in Italia sec. XVI excusum sibi videri refert Grunerus, forsan tomus huius collectionis fuerit.

11 Veneta Aldi *Manutii* P. f. 1571. 8. qui si multa ausus sit in lectionem priscam, plura tamen attulit ad eius emendationem. Caveat autem quisque hodie hoc viro minor, eum iniquius arguisse.

12 cum diversis locorum scripturis in T. I Scriptt. Rom. a Frid. *Sylburgio* collectis Francof. 1588 fol.

13 *Schegkii* I ap. Io. Wechel. 1589. 12. cum Aldi et Schegkii notis.

14 Patavii cum lectionibus Val. *Acidalii* Velleianis 1590. 8. Acidalius hisce iuvenilibus ipse non contentus, secundas curas cogitabat. Nihilominus in hoc iuvene viro plura fuere egregia, quam in aliorum similibus studiis.

15 Raphelengiana 1591. 8. c. varr. lectt. ex Aldo, Schegkio, et I. Lipsii praelectt. excerptis.

16 c. emendd. I. *Lipsii* 1692. 8.

17 Lugdun. Preux c. n. Aldi, Schegkii et Lipsii, denique (non Vincentii, ut in tit. est, sed) Val. Acidalii. 1594. 8.

18 Fulvii *Ursini* notae in Vell. Sall. aliosque c. fragm. latt. hist. Antv. 1595. 8.

*19 Ex rec. I. *Lipsii* per Hier. Commelin. 1596. 24.

*20 c. *Lipsii* animadv. additus Tacito 1600. 4.

21 Iac. *Schegkii* II, Frcf. ad M. ex offic. Palthen. 1602. 12.

Aetas III curis *Lipsii* ultimis, et Iani *Gruteri*, qui idem Vell. in capita distinxit, recensione nova, quam dein secuti sunt editores, insignis.

22 c. n. Iusti *Lipsii*, additus Tacito. Antv. Moret. 1607 fol.

23 Iani *Gruteri* I, (capp. distincta) c. n. Rhenani, Burerii, Manutii, Ursini, Lipsii, Schegkii, Acidalii et Gruteri. Frcf. 1607. 16.

24 c. n. Varr. Rhen. Burerii, Man. Schegkii, Lipsii, Ursini et (quae primum prodiere) Claudiani Puteani, additus Tacito a Car. *Auberto*. Paris. ap. Chevalier 1608 fol.

25 ex rec. *Gruteri* inter scriptt. hist. Rom. lat.

Petri de la Riviere Aurel. Allobr. f. Genev. 1609 fol.

26 in hift. Aug. Scriptt. lat. minoribus I. *Gruteri* Hanov. 1611 fol. poft Florum.

27 ex rec. *Lipfii.* Monachii 1614. 12.

28 in Epitome Hift. Rom. Amftel. ap. Caefium 1615. 16. poft Florum.

29 c. n. Aufon. *Popmae* Franeq. 1620. 12.

30 in Scriptt. vett. hift. Rom. Ebroduni 1621 fol.

31 in Scriptt. hift. Aug. collectione, quam repetiere Roverii vidua et her. Genev. 1623 fol.

32 in Epit. hift. Rom. Amftel. Caef. 1625. 24.

33 *Lipfii* additus Tacito. Antv. 1627. fol. repetitio ed. 1607.

34 c. M. Z. *Boxhornii* brevibus animadv. Lugd. Bat. Io. Maire 1632. 12. T. I corp. fcriptt. hift. Aug. 4 Voll.

35 ex rec. *Gruteri* Helmft. per Ierem. Rixner 1640 l. 1649. 12.

36 c. n. Aegidii *Lacarri* Parif. 1644. 12. nullius momenti dicitur Burmanno.

37 in Epit. hift. Rom. Amftel. ap. Io. Ianffon 1647. 24.

38 *Lipfii* additus Tacito. Antverp. 1648 fol. repet. ultima edit. 1607.

39 *Gruteri* recenfionem fequitur ed. in T. I Scriptt. hift. Aug. coll. repetitae ad illas 1609 et 1611 per Sam. Chouet Genev. 1652.

Aetas IV. Principes fuere Gerh. *Voffius*, Gerh. Io. filius, iuvenis doctiffimus, et Io. Henr. *Boeclerus* clariffimus in Acad. Argentor. Prof. prae-

terque eos nomen tulere Nic. *Blancardus*, et qui Boecleri recens. maxime secutus Ant. *Thysius*: Nic. vero *Heinsius* minus boni contulit in Vell. quam suae coniiciendi libidini indulsit; et tamen invenit suos fautores.

40 c. n. Gerh. *Vossii* I Lugd. Bat. 1639. 12.

41 Io. Henr. *Boecleri* I Argent. 1642. 8.

42 ex Museo Nic. *Blancardi* in epit. hist. Rom. Lugd. Bat. 1648. 12.

*43 c. n. varr. ed. Ant. *Thysii*, qui suas addidit, I Lugd. Bat. ex offic. Franc. Hacke 1653. 8.

*44 I. Henr. *Boecleri* II Argent. 1663. 8 textum sistit emendatiorem, tum eiusdem annotata c. vitis Vell. a G. I. Vossio et Lipsio. accedit index rerum et verborum non ab ipso Boeclero confectus. Ab eodem sunt Characteres politici in Vell. Pat. expositione quadam demonstrati Argent. 1672. 8.

45 *Ruperti* Obss. in Vell. c. diss. ad Valer. Max. Norib. 1663. 8.

46 *Vossii* II Amst. Elzev. 1664. 12. (repetit. Lugd. 1639)

47 *Thysii* II c. n. Varr. Lugd. B. 1667. 8. (repet. prioris 1653.)

48 et 49 in usum Delphini e rec. Rob. *Riguez* S. I. Paris. 1675. 4. repetita Lond. 1730. 8.

50 Nic. *Heinsii* c. castigg. libello Amst. 1678. 12.

51 *Boecleri* III Argent. 1682. 8. rep. II.

*52 *Vossii* III Francof. 1687. 8. rep. II.

53 Eadem IV 1703. 12.

Aetas V triumviros habet lectionis Velleianae constituendae, unum Anglum, Io. *Hudsonum*,

duos Batavos, Petrum *Burmannum*, et noviſſime Dav. *Ruhnkenium*, multa hodie fama inter Criticos virum, qui, in quantum ad editionis principis vel lectiones MS. a Burerio adnotatas a variis editorum erroribus regreſſi textum reſtituerunt aut lectionis priſcae veſtigia ſecuti emendarunt, laudandi ſunt; ceterum qui omni varietate coniiciendi priorum editorum eorumque animadverſionibus praeter neceſſitatem in volumina congerendis editiones ſuas veluti naves onerant, neſcio an lectionem veterum auctorum ita impeditam reddunt, quo minus eos familiares ſibi efficiant multi, quibus tam ſuperbe ſtudia ſua inſtituere nec licet, nec lubet. ſed ſunt, qui in hiſce molibus ſtruendis operam ſuam oſtentent. Nec parum quoque ornamenti ad edendum hac aetate Velleium acceſſiſſe cenſent eruditi ex Henr. Dodwelli annalibus Velleianis ſ. vita Velleii diligentiori ſtudio conſcripta, quae uti iam pridem obſervantibus I. Maſſono aliiſque in multis locis defeciſſe videtur, ita certe ſaepius minutam magis quam fructuoſam diligentiam praefert, neque ob orationis genus adhibitum vehementer probari debet. Sed dandum eſt aliquid eruditis, qui haec amant, ob multas bonas obſervationes, quas ille protulit. Annales Vell. cum Ann. Quint. Statianis cet. Henr. Dodwellus ſeorſum edidit Oxoniae 1698. 8.

54 ex rec. Io. *Hudſoni* c. varr. lectt. ſel. varr. notis additis ad calcem vol. et index locutt. Praemittuntur Henr. Dodw. Annal. Vell. Oxoniae ex theatro Sheldoniano 1693.

55 c. n. Chriſtoph. *Cellarii* et indd. (praemiſſa Ann. Dodw. tabula) Lipſ. 1707. 12. Tri-

buit ille N. Heinfio nonnumquam plus iufto.

56 c. n. Chrift. *Iunkeri* 1707. 12.

57 c. nova Gallica verfione Lemovici 1701. 12.

58 Hudfoniana repetita Oxon. 1711. 8.

*59 I. G. *Walchii* Lipf. 1712. 12. Praemiffi Ann. Secutus ille Heinfium.

60 Mich. *Maittairii* c. ind. locupl. Londin. 1713. 12.

61 Parif. 1714. 12.

62 Petri *Burmanni* c. lect. et nott. varr. Lugd. Bat. 1719. 8. cf. n. 65.

63 T. I. Epit. hift. Rom. duobus voll. edit. Florent. 1723. 8.

64 et 65 c. n. Sinceri (auctor Chrift. Frid. Ayrmann, Prof. Gieff.) et ind. lat. et germ. Marb. 1731. 8. repetitur Gieffae 1752.

*66 *Burmanniana* II, h. tit. C. Vell. Pat. quae fuperfunt ex hift. Rom. c. integris fcholiis, nott. variis lect. et animadverfionibus doctorum virorum curante P. Burmanno. ed. II auctior et emendatior Lugd. Bat. 2 Voll. 1744 8. Textum vero cum ed. pr. et Erafmica ita reddidiffe ipfe refert, ut ubi tolerabilis lectio videretur, quam minimum recederet a principe: tum notas omnium ufque ad Heinf. interpretum integras, fubiecit; vel potius iis auctorem obruit, cum fuperiorum editt. praefatt. congeffit alia, quae ad molem magis faciant, quam ad auctoris ufum.

*67 in T. II fcriptt. hift. Rom. edente B. C. *Haurifio* c. lect. varr. Heidelb. 1743 fol. c. figg.

68 ex rec. P. *Burmanni.* Glafcuae typis Foulif. 1752. 8. Editio elegans.

69 Berolin. 1756. 8.

*70 ex rec. et c. comm. perp. I. Frid. *Gruneri* c. Ind. in Vell. et altero in Annott. Coburg. 1772. 8. praemifit Dodw. Ann. Vell. et eorum fynopfin chronol. editionem Rhen. denuo contulit et ex ea l. recepit l. faltim fubiecit lectionem prifcam; priorum edd. in iifque Burmanni noviffimas emendd. et obff. attulit; ceterum ipfe et multa haud fatis apte geffit.

71 Velleii Pat. quae fuperfunt ex hift. Rom. voll. duobus cum int. animadv. doct. curante Dav. *Ruhnkenio.* Lugd. Bat. 1779. 8. 2 tomis. Tom. I textum exhibet ad Rhen. edit. ita reftitutum, ut etiam menda eius reddere mallet, quam pofterorum edd. rationes fequi, nifi quae ipfi videretur indubia, aut fua effet; textui fubiecit Rhenani ac Burerii fuafque: Tom. II ceterorum editorum notas habet, quas Burm. in II editionis vol. II congefferat.

Nos quidem in hac editione quid praeftiterimus, cuivis pateat, qui ipfe libellum minoris molis cum fuperiorum editorum laboribus contulerit: ceteris quid plura dicere opus? Textum quidem ad ed. pr. lectionem a Rhen. editam, veftigia a Burerio adnotata, denuo ipfi exegimus; ubi fana oratio videbatur, coniecturas aliorum omifimus; rationes emendandi ab aliis bene initas retinuimus; ubi lectio parum procedebat, aut editorum coniecturis contaminata erat, noftrum quoque fenfum ita adhibuimus, ut a fuperftitione critica aeque ut licentia nobis temperaremus. Videant ipfi harum rerum intelligentes, quam preffe veftigia MS. in emendando

ſecuti ſimus; quam ſaepe rectiori interpunctione auctorem ab auſis aliorum defenderimus; alia nova quadam ratione expoſuerimus. Denique prudentiores lectores aequi bonique ferant, quicquid in gratiam ſtudioſae iuventutis vel ex aliorum notis excerpſimus, vel quas novas attulimus ad illuſtrandum auctorem notulas. Saepius annos rerum geſtarum adnotavimus vel ad Catonis rationem, vel etiam ſimul ad Varronianam, quam Dodwellus in Ann. ſecutus eſt. Illa quidem minus nobis recedere videbatur ab annis Velleii. Sed in eo facile concedemus aliis, quibus, hac dubia computandi ratione, Varroniana hodie ſollennior eſt.

ANNALES
VELLEIANI,
SEV
VITA
VELLEII PATERCVLI
PRO TEMPORVM ORDINE DISPOSITA
AB
HENRICO DODWELLO.

ANNALES VELLEIANI

§. I.

Ab adoptione Tiberii anno Varr. 757 incepit novennium militiae Velleii sub eodem Tiberio.

Natalem Velleii noſtri annum ego ita eliciendum exiſtimo. [1] Finita equeſtri militia Quaeſtorem ſe deſignatum fuiſſe dicit, cum deficeret Maroboduus, ſocioſque defectionis, non Germanos modo, ſed Pannonios etiam et Delmatas, adſciſceret. Hanc defectionem anno urbis Varroniano 759 tribuit Dio. [2] Sic tamen ille, ut plurium annorum geſta in unum eundemque annum conferat. hoc enim anno ortum belli Germanici memorat, primamque Tiberii in Germanos expeditionem. Sed propria huius anni acta huius belli ultima fuiſſe intellexit, quae erant cum hoſte Maroboduo, ſociiſque eius Pannoniis atque Delmatis. Id quod verum fuiſſe, noſter nos docuit ipſe Velleius, qui in belli huius progreſſibus deſignandis Dione certior eſt teſtis atque accuratior. Sic itaque Velleius. [3] adoptatum ille Tiberium teſtatur v Kal. Iulias, Iunii nimirum die xxvii, ſub Coſſ. Aelio Cato et Sentio Saturnino, qui anno Varroniano 757 magiſtratum inibant. Mox autem ab adoptione in Germaniam miſſum eſſe, idem docet Velle-

1. Vell. L. II. c. 111.
2. Dio L. LV.
3. Vell. L. II. c. 103.

ius. [1] „Non diu (inquit) vindicem custodemque imperii sui morata in urbe patria, protinus in Germaniam misit„. Itaque ipso illo anno, quo fuerat ab Augusto adoptatus, missus in Germaniam est Tiberius. Inde factum, ut illius anni [2] aestiva in mensem usque Decembrem perduxerit. Aestiva nimirum intelligit Velleius militaria; quae hibernis opponebantur, itidem militaribus. Aestiva, inquam, rebus gerendis apta, quae sub pellibus egerit exercitus, et in castris, pro re nata, mobilibus; cum hiberna in castris soleret agere, potius stativis. Nec sane res a Tiberio hoc ipso anno gestae patiebantur, ut, qui post Iunii XXVII in Germaniam venerat, in hiberna sese ante mensem Decembrem recipere potuerit. Subactos enim tradit Velleius hoc anno Caninefates, Attuarios, Bructeros, receptos in fidem Cheruscos, transitum Visurgim, penetrata Germaniae ulteriora. Obstat praeterea, ne in sequentem annum reiiciatur Germanica illa Tiberii expeditio, quod [3] operum eius per annos continuos IX se spectatorem fuisse, aut adiutorem, iactet ipse Velleius. Exire illi anni non poterant ante annum Varronianum 765, quo rediit e Germania ita Tiberius, ut eo nunquam postea sit reversus; paulo tamen antea quam parem acciperet cum Augusto in provincias potestatem. Ita certum est, res Tiberii in Germania gestas hoc ipso adoptionis

1. Vell. L. II. c. 104.
2. Vell. L. II. c. 105.
3. Vell. L. II. c. 104.

anno 757 initium accepiſſe. Fieri aliter non potuit, ut vel minimam anni noni partem Velleius egerit in militia Tiberii.

§. II.

Acta anni 758.

Sequitur in Velleio annus alius, cuius vere ineunte redierit Tiberius in Germaniam. Iam [1] perluſtratam dicit armis totam fuiſſe Germaniam. iam victas gentes paene nominibus incognitas. iam receptas Cauchorum nationes. iam fractos Longobardos, gentem etiam Germana feritate ferociorem. iam ad quadringenteſimum milliarium a Rheno uſque ad flumen Albim Romanum cum ſignis perductum fuiſſe tradit exercitum. Haec huius anni geſta huic aeſtati tribuit Velleius. Certior nimirum ille, pariterque minus confuſus Dione [2] teſtis, qui triennii integri acta anno illo memoravit, quo triennium exierit. Et tamen ne fidem illi detrahamus, ſunt etiamnum in Dione plurium annorum ſatis luculenta veſtigia. Haec enim erat [3] ſecunda illa Tiberii in Germanos expeditio, ſecundi nimirum anni huius belli Germanici, quo (accerſito in Germaniam Delmatiae Praefecto, Valerio Meſſalino) Delmatis Pannoniiſque occaſionem oblatam teſtatur Dio rerum novandarum. Binas enim uno eodemque an-

1. Vell. L. II. c. 106.
2. Dio L. LV. anno 759.
3. Dio ibid. ὅτι Τιβέριος ἐπὶ τοὺς Κέλτους τὸ δεύτερον ἐστράτευσε etc.

no, et in eandem provinciam expeditiones fuiſſe, parum veriſimile eſt. Haec etiam [1] ſecunda illa pax, tam a Tiberio, quam etiam Sentii Saturnini opera, eodem Dione teſte, Germanis conceſſa; quem tamen certe Saturninum in hoc ipſo bello Germanico ſocium habuit Tiberius. Tum in hiberna reductis legionibus ad urbem ipſe properat Tiberius. Sic enim noſter docet Velleius [2]. Proinde miror, cur ſaepe revocatum ab Auguſto dicat tamen perſeveraviſſe Suetonius [3]. Errore aliquo illum ſuſpicor ad bellum hoc Germanicum retuliſſe, quod auctor eius rectius ad ſecutum Delmatarum Pannoniorumque bellum retulerat. Tunc enim certe Tiberium de mora ſuſpectum agnoſcit Dio [4]. Ex quo illum ſaepe revocatum facile colligimus. Haec ſane niſi de anno Varroniano 758 intelligi non poſſunt.

§. III.

Deſunt in Velleio acta anni 759, quo anno auxilia ad Tiberium duxit Velleius.

Tum demum ſequitur motus Marobodui, quo concitata eſt ad arma non Marcomannia modo, ſed et Pannonia etiam atque Delmatia. Et ſolum tamen Maroboduum proximo anno aggredi ſtatuiſſe Tiberium, diſertis teſtatur verbis idem ipſe Velle-

1. Dio ibid. ἐπειδὴ μὴ μόνον ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον φοβηθέντες αὐτοὺς ἐσπείσαντο.

2. Vell. L. II. c. 107.

3. Sueton. Tib. c. 16.

4. Dio L. LV. anno 760.

ius [1]. ,, Eo fine Sentio Saturnino mandatum, excisis continentibus Hercyniae silvis, ut legiones Boiohoemum, quae regio erat Marobodui, duceret ,, . Bohemia illa fuisse videtur hodierna. Haec ille superioris anni, ut videtur, fine. Saturninum enim Tiberio comitem addit Velleius, post hiberna, cum aggrederetur Maroboduum ipse Tiberius. Hic ego lacunam in Velleio esse suspicor, (de qua tamen nulla adhuc apud eruditos, quod quidem sciam, hactenus suspicio) qua belli exitum, quem hoc anno tertio habuerit, distinctius enarraverit. Locum lacunae fuisse puto post verbum *duceret*. Sequuntur deinde illa : [2] ,, Ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est ,, . Nam non cohaerent illa cum verbis proxime praecedentibus. Quis enim quaeso ipse ille, de quo meminit Velleius, qui exercitum illum duxerit, qui merebat in Illyrico? Non aliquis certe, cuius mentio praecesserat in Velleio. Non ipse Tiberius, qui iam erat, non in Illyrico, sed Germania, de quo etiam, paucis interpositis, illa subiungit: ,, Praeparaverat iam hiberna Caesar ad Danubium ,, . Alius itaque a Caesare praefectus ille exercitus Illyriciani. Multo minus Saturninus, qui alia prorsus via missus in Maroboduum fuerat a Tiberio. Non alius erat ipse ille a Velleio memoratus, quam Valerius Messa-

1. Vell. L. II. c. 109. 2. Vell. ibid.

linus, quem Illyrico praepositum agnoscit ipse [1] Velleius, Delmatiae ac Pannoniae [2] Dio. Duas enim illas provincias Illyrici communi nomine complectebantur. Accivit illum ex Illyrico Tiberius. convenitque iter a Velleio designatum. Carnuntum in Pannonia ponunt Veteres. Recteque eo Pannoniae Delmatiaeque Praefectus iter fecerit Tiberium versus, qui hiberna ad Danubium paraverat. Recte nimirum moturus in Maroboduum et Marcomanniam. Desunt ergo acta tertii huius anni in Maroboduum. Deest et prima Valerii Messalini mentio, unde pendebant ea, quae postea sequebantur. Haec tamen obiter. Adhuc certe durasse bellum ex ipso discimus Velleio. [3] Fractas nimirum testatur ille post adoptionem continua triennii militia Germaniae vires. Tria nimirum intelligit aestiva, et ab adoptione ipsa deducta continua. Ita aestatis huius partem saltem aliquam impenderit in bellum Germanicum adversus Maroboduum. Idque innuit, ni fallor, etiam in eo Velleius [4], quod bellum Gaetulicum, unde Cossus gentilitium Gaetulici cognomen familiae meruit, ante proximum, quod sequebatur, bellum Delmaticum fuisse doceat paucos annos. Hoc bellum [5] Dio eodem tempore coepisse dicit, quo et aliud illud in Germania. Ita

1. Vell. L. II. c. 112.
2. Dio L. LV. n. 759.
3. Vell. L. II. c. 122.
4. Vell. L. II. c. 116.
5. Dio ibid.

aliquot annorum fuerit oportet coaevum quoque bellum in Germania. Et ſane poſt duplicem illam, pacem tertiam praeterea memorat [1] Dio, quam tamen celeriorem agnoſcit propter motus Pannonicos atque Delmaticos. Et tamen hac eadem aeſtate motus illos coepiſſe neceſſe eſt. Moverat Meſſalinus ad Tiberii, ut e Velleio diſcimus [2], hiberna; itaque initio aeſtatis antea quam hiberna reliquerat, aut in hoſtem moverat, ipſe Tiberius. Mox a diſceſſu eius, cunctatione, [3] Dio inquit, abrupta, arma capiunt Delmatae atque Pannonii. Inde pax illa cum Maroboduo, quam fuerat alioqui futura, celerior. Inde reverſus e Germania Tiberius, praemiſſus in provinciam ſuam Meſſalinus ea geſſit, quae primae belli Pannonici aeſtati tribuit [4] Velleius. Addit idem notam temporis aliam, ſubitam nimirum, cum agerentur illa, rebellionem. Itaque defectionis initio rediiſſe neceſſe eſt e Germania Tiberium, et brevem adeo eiuſdem fuiſſe in eadem moram. Mox occupata eſt a rebellibus Macedonia, et brevi admodum tempore defectio longe lateque propagata eſt, ut non modo de ſua defenſione, ſed de Italia etiam invadenda cogitarint. Inde tantus ille Romae terror, ut Senatum moneret Auguſtus, [5] decimo die, ni caveretur, poſſe hoſtem in urbis

1. Dio ibid.
2. Vell. L. II. c. 3, 112.
3. Dio ibid.
4. Vell. L. II. c. 112.
5. Vell. L. II. c. 111.

Romanae venire conspectum „. Tum novae illae militum conscriptiones, quibus tandem effectum est, ut XV legiones paremque auxiliorum copiam habuerit Tiberius. Tanto enim apparatu bellum illud in Illyrico a Tiberio gestum memorat [1] Suetonius. Illorum partem ab Augusto traditam perduxit Velleius [2] ad Tiberium, Quaestor iam designatus, in annum scilicet sequentem. Sic illa omnia invicem cohaerent, ut in alium Urbis, quam dixi, annum Varronianum, nempe 759, quadrare vix possit Velleii illa ad Quaesturam designatio. antiquiorem non fuisse ex dictis constat. Sed ne quidem serior esse potuit. Ita enim matura erat hac aestate rebellium defectio, ita praesens inde metus, decimi nimirum diei itinere urbi ipsi imminentium, ut in annum alterum proferri auxilia illa non potuerint. Imo hoc ipso anno iunctos Velleius [3] fatetur exercitus, aliunde nimirum accersitos. Nec iunctos modo, verum etiam eo, unde venerant, remissos. Ita nimirum mature, ut asperrimae hiemis initio regressus postea Sisciam fuerit Tiberius. Et quidem huius anni hiberna Sisciae Tiberio fuisse atque Messalino, testem habemus disertum Dionem [4]. Ita certum est, hoc ipso anno, post initium aestatis, et tamen ante hiemis etiam initium, appulisse Velleium.

1. Suet. Tib. c. 16.
2. Vell. L. II. c. 111.
3. Vell. L. II. c. 113.
4. Dio L. LV, an. 759.

§. IV.

Hoc anno Velleius Quaestor designatus est.

Convenit praeterea, quod hoc fere eodem tempore Agrippam, „qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali erat, et iam ante biennium, qualis esset, apparere coeperat patris atque eiusdem avi sui (Augusti) animum alienasse sibi„ idem testetur Velleius [1]. Biennium illud ab adoptione, quae tantos illi animos fecerat, arcessit. Quae cum eodem tempore sit facta, quo et illa Tiberii; proinde fieri vix potest, quin biennium hoc ipso desierit anno, de quo agimus, 759. Nova haec, ut videtur, alienatio a toga virili coepit, quam sumserit Agrippa anno superiori 758. Sic enim Lucii, Agrippae fratris, ferocia prima apparuit, cum togae virili maturo Caio fratri consulatum rogaret. Inde Augusto bonorum paternorum detentionem exprobravit; quod scilicet, Romano censu vir, esset iam in bonorum paternorum possessionem mittendus. Recte nimirum ille, si sui fuisset iuris, nec in alienam potestatem, cum adoptaretur, emigrasset. Paulo quidem serius ille, quam necesse erat, togam sumsit, qui anno illo, quo fuerat adoptatus, annum aetatis expleturus erat XV. natus nimirum anno urbis Varroniano exeunte 742, cuius mense Martio decesserat pater Agrippa, ipse Postu-

1. Vell. L. II. c. 112.

mus proinde appellatus, quod post mortem patris fuisset editus. Proinde consentaneum est, ut ferocia illa mox ab adoptione manifesta obstiterit, quo minus illi togam antea dederit Augustus. Id si verum sit, spatio aliquo magno interposito adoptionem sequi non potuit prima illa ferocia; nec alio quam hoc anno illud, quod inde coepit, desinere biennium. Accedit porro quod, cum moram Tiberii, in huius anni fine, suspectam, uti dixi, haberet Augustus, Germanicum deinde Tiberio socium adiunxerit. Germanici missionem Dio [1] illam sequentis anni 760 initio assignavit; qui etiam illam missionis rationem addit, quod Agrippam alioqui expeditioni illi destinatum iam abdicaverat Augustus atque relegaverat. Sic etiam hoc anno 759 Agrippa supplicio illo mulctatus fuerit, et partem exercitus ad Tiberium Quaestor iam designatus duxerit Velleius. Ita constat undiquaque Quaesturam Velleii designatam in hunc eundem, quem dixi, urbis annum 759 esse conferendam.

§. V.

Proinde annus Urb. Varron. 759 idem erat aetatis Velleii XXIV absolutus.

Hoc ita constituto, aetatem inde Velleii colligimus, annumque, de quo nemo hactenus, natalem. Aetas quaestoria, quae eadem erat primae in

1. Dio L. IV.

Senatum admiſſionis, annus erat XXV; labens nimirum, expleto anno duntaxat XXIV. Verum hoc fuiſſe, noſtris ad Spartiani Hadrianum [1] praelectionibus oſtendimus. Conſtabat nimirum illud ſpatium e duobus intervallis in Romana diſciplina militari notiſſimis. Aliud pubertatis erat, ad annum aetatis [2] XIV; quo iam elapſo, togam virilem ſumere ſolebant, togam praetextam exuere, etiam Senatorum filii. Inde militiae tirocinium [3] coepiſſe ibidem oſtendimus, cuius X ſtipendio finito, tum demum licuit adoleſcentibus etiam nobilibus honores petere ſenatorios. Horum honorum primum Quaeſturam fuiſſe, ibi etiam obſervavimus. Itaque X ſtipendio completo annus erat Quaeſturae non quidem ineundae, ſed ambiendae tamen atque [4] deſignandae. Talis erat Velleii illa, de qua hoc anno legimus, Quaeſtura, deſignata duntaxat [5]. Finitam dixit hoc anno militiam ſuam equeſtrem: quae tamen qualis fuerit, vix dum intellexiſſe videntur viri alioqui hiſtoriae Romanae peritiſſimi, cum ſit nihilominus, in re literaria chronologica, vel momentoſiſſima. Illam ergo intellexit Velleius militiam, quae viris etiam familiarum ſenatoriarum ne-

1. Prael. X. ad Sp. Adrian. §. 8. 14.
2. Prael. V. ad Sp. Adrian. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
3. Prael. V. ad Sp. Adrian. §. 9. Prael X. § 9. 10.
4. Prael. X. ad Sp. Adrian. §. 12 13. 14.
5. Vell. *L.* II. *c.* III.

cessaria erat ad honores, uti dixi, senatorios, locumque in Senatu ipso capiendum. Equestris autem propterea appellata est, quod alia esset ab eorum militia, qui ordine equestri essent inferiores, et a militia etiam senatoria. [1] Gregalium militum stipendia plura fuisse probavimus, ad honestam scilicet missionem, et emerita rite capienda, nunc scilicet XX annorum, nunc XVI, nunc XIV, nunc etiam XII, in militia nempe praetoria. Nobilium alia causa erat, quibus militiae praemia proposita nulla erant emerita, sed honores, praesertim senatorii: nec enim in senatum admissi sunt, etiam censu senatorio nobiles, ante [2] annos senatui legitimos: nec satis erat senatoria etiam aetas sine legitimis stipendiis. decem erant ad minimum stipendia ad senatum plane necessaria. Interim in senatu non erant, sed in ordine duntaxat equestri, familiarum quantumvis nobilium pueri atque adolescentes. Hoc adeo verum erat in familiis privatorum senatoriis, ut etiam tenuerit aliquatenus in principibus, imperii nondum participibus, sed heredibus duntaxat atque candidatis. Ne quidem ipsis, ante aetatem legitimam, soli locum in senatu, soli honores senatorios, dedere natales. Quamvis frequentiores, fateor, legamus in illis Annariae legis indulgentias, et pauciorum etiam anno-

1. Prael. X. ad Spart. Adrian §. 13.

2. Prael. X. ad Spart. Adrian. §. 8. 14.

Fam aetatem, in hac causa legitimam. Interim puerorum nobilium [1] turmis praeerant, pueri ipsi nobilissimi; et iuventuti equestri, Principes ipsi iuventutis appellari soliti. Erant itaque ipsi etiamnum equites; et militia eorum hactenus proinde duntaxat equestris. Et plane senatoriae militiae opponitur equestris illa militia Velleii. Ipse se agnoscit, cum Quaestor esset tantummodo designatus, [2] nondum fuisse senatorem. Et tamen senatoribus se aequatum observat, hoc ipso nomine, quod partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxerit ad filium eius. Hoc nomine se Quaestoribus, qui infimi omnium erant senatores, aequatum innuit; nec designatis modo, verum magistratum illum quaestorium obeuntibus. Ita nimirum quaestura superioribus designata, ut ad honorem quaesturae proximum superioremque fuissent designati, tribunatum scilicet. Sic enim tribunatum plebis quaestura superiorem probavimus [3], ut quaesturam tamen proxime exceperit. Et tamen designatus Tribunus plebis iam adhuc Quaestor fuerat in magistratu ipso constitutus, et proinde Quaestor plusquam designatus. Itaque militiam suam illam, qua parti exercitus ad Tiberium deferendi praefectus est, equestri sua, itidem militia, superiorem agnoscit, et

1. Prael. XVIII. ad Sp. Adr. §. 9. 10.
2. Vell. L. II. c. III.
3. Prael. XII. ad Spart. Adr. §. 4. 5.

proinde senatoriam. Inde ministerium illud suum speciosum fuisse dicit, quod Quaestor duntaxat designatus, nec adeo adhuc Senator Senatoribus verisque Quaestoribus fuerit, per illud ministerium, aequatus. Imo ita Quaestoribus, ut ne quidem Quaestoriorum summi, Tribunisque proximi, ad tribunatum quippe designati, quaesturaeque gradum fere egressi, ministerium illud fuerint dedignaturi. Sic facile intelligimus, praefecturam illam exercitus ad Tiberium deferendi non aliis credi solitam, quam Senatoribus ad minimum quaestoriis. Sic intelligimus, nobilem fuisse Velleii familiam, cuius militia prima non gregalium fuerit militum, sed equestris; cuius honores deinde legimus senatorios, sine mentione tamen impetrati laticlavii, quod ille ius avitum a maioribus acceperat. Inde et legitimo tempore hanc Velleii quaesturam fuisse discimus, quod proxime militiam eius equestrem exceperit, ne quidem ipsam stipendiis, ut videtur, legitimis protractiorem. Inde aetate quaestoria senatoriaque uno fuisse anno iuniorem, cum quaestura eius fuerit duntaxat designata, anno nimirum sequenti obeunda; cum etiam talis fuerit, quae nondum illum fecerat senatorem; cum denique stipendia eius decem a togae virilis aetate, annoque adeo XIV expleto numeranda exceperit, quo tirocinium inire ut plurimum solebant. Ita conveniunt omnia ut

praedictus urbis annus Varronianus 759 cum anno aetatis Velleii xxiv concurrerit explendo. Sic natus fuerit anno eiusdem aerae 735 noster Velleius.

§. VI.

Militiam Velleius equestrem inivit anno Urb. Varroniano 749.

Hoc anno nimirum exitum habuere decem illa stipendia, quae ille pro militia censet, uti vidimus, equestri. Ea proinde anno eiusdem epochae Varronianae 749 coeperint necesse est. Nec sane pugnant, quae de hac eadem militia sua alibi tradit ipse Velleius [1]. Initia stipendiorum suorum fuisse dicit, cum Caius Caesar Augusti nepos cum rege Parthorum in Euphratis ripa congrederetur. Erat annus ille Varronianus, ut videtur, 753. Brevi, [2] ut ait Velleius, spatio postquam innotuerant Iuliae Augusti filiae adulteria. quae Augusti consulatu ultimo, quem gessit anno Varroniano 752, emanasse, idem testis est [3] Velleius: certe ante quam tribunitiae Tiberii potestatis primum quinquennium ad exitum perductum esset. Ait enim Velleius, Caium [4] Tiberio honorem omnem, ut superiori, habuisse. Atqui heredibus imperii designatis non potuit alia ratione superior esse Tiberius, quam tribunitiae potestatis. Imo eam ipsam causam habuit

1. Vell. *L.* II. c. 101.
2. Vell. ibid. c. 100, 101.
3 Vell. *L.* II. c. 100.
4. Vell. ib. c. 101.

in animo Velleius. Hac enim tribunitiae potestatis consortione [1] aequatum illum Augusto fuisse dixerat: hoc, inquam, nomine civium post unum (et hoc quia volebat) eminentissimum: hoc ipso denique nomine fulgorem Tiberii orientium iuvenum initiis obstitisse. Proinde innuit, futurum alioqui, ut alios, praeter Augustum, superiores habuisset; imprimis procul dubio illos, quos dixi, Caesares. Imo illam ipsam ob causam tribunitia potestate Tiberium ornaverat Augustus, ut ferociam Lucii retunderet. Inde inter causas, cur Tiberius secesserit, eam recenset Suetonius, [2] quod adultis iam Augusti liberis, loco et quasi possessione usurpati a se secundi gradus sponte cessisset. Et cum ageret de reditu Tiberius ab exilio Rhodiaco, elapso iam potestatis tribunitiae quinquennio, illo potissimum est usus argumento, iam se [3] securum esse ab illa, quae olim fuerat cum Caio Lucioque, aemulatione; iam corroboratos illos, et secundum locum facile tutari. Imo, ne alio honorem illum Tiberio habitum a Caio referamus, monet ipse Velleius [4], praefectos provinciarum omnes „visendi eius (in secessu) gratia ad eum convenientes, semper privato (si illa maiestas unquam privata fuit) fasces suos summisisse, fassosque esse, otium eius honoratius imperio suo„. Hoc itaque exemplo Caius

1. Vell. ib. c. 99.
2. Suet. Tib. c. 10.
3. Suet. Tib. c. 11.
4. Vell. II. c 99.

etiam ipſi Tiberio faſces ſummiſerit, eumque pro ſuperiore habuerit. Itaque Tiberium ſuperiorem agnovit Caius, nondum elapſo tribunitiae poteſtatis quinquennio, quod tamen anno 753 deſiiſſe alibi [1] probavimus. Proinde illius anni finem praeceſſerit oportet expeditio illa Caii Parthica. Sic tamen initia illa ſtipendiorum ſuorum intellexit Velleius, ut poſſit interim veriſſimum eſſe quod dixi, aliud fuiſſe eorundem et antiquius initium, ab anno uſque 749 repetendum. Addit enim deinde Velleius [2]:,, quem militiae gradum ante ſub patre tuo, M. Vinici, et P. Silio auſpicatus in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Aſiaque, et omnibus ad orientem viſis provinciis, et ore atque utroque maris Pontici latere, haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium, recordatione perfruor,,. Hic certe militiam habet aliam, initiis illis ſtipendiorum ſuorum ſub Caio Caeſare poſitis antiquiorem; et ſatis laxam illam, ut limitibus a nobis conſtitutis reſpondeat. Plurium enim annorum fuiſſe neceſſe eſt, quae ſub pluribus fuerat Praefectis, et in pluribus itidem provinciis. Itaque initia ſtipendiorum ita intellexit, ut puto, Velleius, non ut primam militiae originem, ſed ut mediam eius partem priorem, vocibus illis deſignarit. Nec ſane incredibile eſt, in duo quinquennia diſtributa fuiſſe

1 Prael. XIX. ad Spart. Adr. §. 13, 21, 22.

2. Vell. L. II. c. 101.

decem illa ad honores ſenatorios neceſſaria ſtipendia, quamquam neminem habeamus (quod quidem ſciam) veterum, qui verbis id expreſſis teſtatus fuerit. Quod tamen ſi verum fuerit, ſic initia ſtipendiorum primo quinquennio, finis ultimo, fuerint aſſignanda. Sic annuos militum tribunatus in media parte diviſos [1] ſemeſtres fecerant. Sic tributorum redituumque locationes quinquennes erant. Sic et ſupremae, vel ſupremis proximae, poteſtates, cenſoriae tribunitiaeque, erant etiam ipſae per ſimilia diſtributae quinquennia. Nihil ergo vetat, quo minus ſimilia fuerint in decennali etiam militia quinquennia. Imo ita fuiſſe certum eſt, cum breviorem decennali militiam nullo unquam tempore ad honores ſenatorios neceſſariam legamus: non his certe, de quibus agimus, temporibus Auguſti. Ita neceſſario procedent noſtra de Velleii anno natali ratiocinia. Niſi forte aut togam Velleius praetextam ultra annos pubertatis protraxerit, aut tirocinium a toga pura confeſtim non inierit. Erant, fateor, qui ita fecerint, ſed rari admodum, a negotiis atque a militia abhorrentes. A norma autem, exempliſque frequentiſſimis longe omnium certiſſima eſt argumentatio. Eam autem alibi probavimus fuiſſe, ut anno aetatis XIV togam virilem ſumſerint, et militiam inierint. Nec eſt, quod Velleium a norma diſceſſiſſe ſuſpicemur, virum certe, ſi quis alius,

1. Prael. XII. ad Spart. Adrian. §. 6.

ingenio satis militari. Satis illud apparet e militia, quam secutus est, non civili, sed castrensi. Satis inde, quod militiae gratia provinciam quaestoriam remiserit. Satis inde denique, quod praemiis militaribus in triumpho Tiberii fuerit ornatus.

§. VII.

Conveniunt maiorum a Velleio memoratorum aetates.

Conveniunt porro cum hac Velleii aetate illorum tempora, qui Velleium ipsum aliquo cognationis gradu contigerint. Successit Velleius patri suo in Praefectura equitum eo ipso anno, quo adoptatus est Tiberius, Varroniano 757. Inde facile suspicamur, adhuc aetate militari fuisse patrem eius, quae, his praesertim, de quibus agimus, temporibus anno concludi solebat LX. Esto autem. Fuerit pater Velleii illo anno sexagenarius, et honesta proinde missione a Tiberio dimissus. Sic natus fuerit anno urbis 697. Avum porro suum dicit [1] C. Velleium tunc se gladio transfixisse, cum fugeret a Neapoli pater Tiberii, Tiberius, et ipse Claudius Nero. Incidit fuga illa in annum belli Perusini, urbis scil. 714 vix bimo [2] Tiberio imperatore (qui natus fuerat anno Varroniano [3] 712, Novemb. XVI) et paulo ante reditum M. Antonii. Certe

1. Vell. L. II. c 76.
2. Vell. L. II, 75, 94.
3. Suet. Tib. c. 5.

ante ludos Apollinares, ut observavit Cl. [1] Norisius. Illo ergo anno iunior pater Velleii esse non potuit, si quidem ipse C. Velleii filius fuerit, et e gente ipse quoque Velleia. Proinde media fuerit aetate necesse est inter annum 53 et 60. satis nimirum commode; cum annum ageret filius, pro nostris rationibus, xxii. Subscripsit praeterea [2] patruus Velleii Capito in C. Cassium anno aerae Varronianae 711, quo Iulii interfectoribus, aqua ignique damnatis, interdictum est lege Pedia. Fieri quidem potest, ut patruus magnus Velleii fuerit ille Capito, et vox adeo *magnus* omissa fuerit in unico illo, unde prodiit Velleius, MS. Nihil tamen pugnat, quo minus patruus Velleii esse potuerit, modo patre eiusdem fuerit aliquanto maior. Patruus ille certe, cum fuerit, illo ipso anno, iam senatorius, annum aetatis xxv superarit oportet. Nec multo maiorem fuisse, exinde verisimile est, quod Senatorium illum tantummodo Velleius appellarit; non Tribunitium, aut Aedilitium, nedum Praetorium seu Consularem. Superiori enim titulo aliquo fuisset insigniendus, siquidem superiorem aliquem in Senatu gradum fuisset consecutus. Fieri etiam praeterea potuit, ut annos militares egressus, castra tamen secutus fuerit pater Velleii. In militibus gregariis frequentissimi erant, post missiones, veterani atque evocati. Nec deerant exempla in militia etiam senatoria. Avo praeterea illi suo, Caio

1. Norif. Cenot. Pis. 2. Vell. L. II. c. 69.

Velleio, caussam eam fuisse docet nepos Velleius, cur fugae comes Tiberio esse non posset, quod [1] gravis iam aetate esset et corpore. Senectutem eius nimirum innuit, et quidem eam, quae inepta esset peregrinationibus, atque itineribus quantumvis necessariis, obeundis. Minor ille septuagenario intelligi vix potest, potuit etiam longe esse maior. Fuerit ergo, cum periit, septuagenarius. Ita natus fuerit anno urbis 644. sic annum egerit ad minimum XIX initio belli Italici anno urbis Varroniano 663. Cum autem [2] Minatius Magius civitate donaretur, duobus eiusdem filiis creatis Praetoribus; iam certe C. ille Velleius Velleii nostri avus tricenario minor esse vix potuit. Post reditum nimirum Sullae (cum quo Pompeios oppugnaverat Minatius Magius) qui anno rediit 671, et tamen dum Praetores seni adhuc crearentur, nimirum antea quam Sulla ipse crearet octonos, quos ille Dictator creavit, anno ad minimum 672. Ita certe Minatii Magii filiis praetoriis par fuerit avus Velleii nostri in gente Velleia. Concurretque stirps Velleii utraque, pari generationum numero ab eo dissita, tam in gente Magia, quam Velleia. Avos enim similiter Velleii fuisse necesse erat Minatii Magii filios, siquidem atavus ipse fuerit Minatius. Addit Velleius de atavo suo Minatio Magio Asculanensi, nepotem illum fuisse Decii Magii, Campano-

1. Vell. L. II. c. 76. 2. Vell. L. II. c. 16.

rum principis celeberrimi et fidelissimi viri. Illum nimirum intelligit Decium Magium, cuius praedicat in Romanos fidem [1] Livius, cum Capua dederetur Annibali, post pugnam Cannensem; anno nimirum urbis Varroniano 538. Nec illud incommode; si iuvenis fuerit, cum dederetur Capua, Decius; et senex, bello Italico, Minatius. Aetas certe filiorum praetoria, quae illis reip. temporibus annorum erat XLI, provectum annis patrem Minatium ostendit. Fieri potest, ut stirpem maternam, non paternam, a Magiis illis duxerit Velleius. Imo ita fuisse certum esset, si quidem fratrem suum Magium Celerem Velleianum [2] Velleius noster appellarit. Sic enim manifestum esset, e gente Velleia in gentem Magiam adoptatum fuisse illum Velleii nostri fratrem. Sed ingeniis, non codici MS. debetur illa lectio. Atqui et patriam Capuam per Minatium illum Magium sibi videtur asserere Velleius, Campanum scilicet Deciique Magii Campanorum principis nepotem. Res certe Capuae domesticas [3] agnoscit. Civis erat certe, ut e Livio constat, Decius ille, Capuanus. cum tamen patriam nemo simpliciter a materna stirpe censuerit. Et civitatem etiam Romanam, et honores familiae senatorios ab eodem Minatio Magio vindicat, quem viritim * dicit civitate donatum; praetoresque adeo

1. Liv. L. XXIII, 7. 10.
2. Vell. L. II. c. 115.
3. Vell. L. I. c. 7.
* Legimus ap. Vell. *virum*.

filios eius duos creatos, cum feni adhuc duntaxat crearentur. Non autem fatis erat ad civitatem ftirps tantummodo materna, nedum ad honores fenatorios. Itaque Velleium noftrum potius Magianum appellandum effe fufpicor, quam fratrem Velleii Magium Velleianum. Eritque adeo gentile auctoris noftri nomen Magius, Velleius adfcititium ex adoptione in familiam Velleiam. Conveniunt tamen ita etiam familiae tempora cum his, quos dedimus, natalibus ipfius Velleii.

§. VIII.

Conveniunt tempora etiam coaevorum.

Conveniunt denique illorum etiam tempora, quos fibi coaevos agnofcit Velleius [1]. „Maxime (inquit) noftri aevi eminet princeps carminum Virgilius Rabiriufque, et confecutus Salluftium Livius, Tibullufque et Nafo, perfectiffimi in forma operis fui„. Aevum, ni fallor, fuum a fuis deducit, ad minimum, natalibus. Altius illud arceffere non potuit. Loquitur autem de coaevis mortuis, quos ipfe poftea iam adhuc vivis opponit. Illos ergo coaevos cenfet, qui poft natales fuos in vivis effe defierant. Virgilius autem et Tibullus illo ipfo anno mortui funt 735, quem nos natalem Velleio iam fuiffe probavimus. Unum eundemque annum utrique fa-

1. Vell. L. II. c. 36.

talem fuisse, docet nos Domitius Marsus. Coss. illius anni Lucretium Cinnam et Sentium Saturninum refert Eusebius in chronico, vel potius, ut videtur, Hieronymus e Suetonii libro de Poëtis. Q. Lucretio collegam alium adiungit Donatus in vita Virgilii, Cn. Plancium. In anno tamen ambo conveniunt; in eo tantummodo, ut videtur, discrepantes, quod Coss. ambos ordinarios dederit Hieronymus, suffectum alterum a Kalendis Septembribus Cn. Plancium Tiberius Donatus. Recte etiam committit Hieronymus cum anno Augusti, a Iulii nimirum Caesaris caede xxv, qui idem est cum eo quem diximus, urbis nimirum Varroniano 735. Itaque non est audiendus Idatius, qui sequentis anni potius consulibus mortem tribuit poëtae clarissimi. Diem etiam Virgilii emortualem x Kal. Octobris tradit Hieronymus, xi autem Idatius. Inde intelligimus, nec post annum illum, nec mensem Octobrem, diemque mensis, quicunque demum is fuerit, nasci nostrum potuisse Velleium. Serius mortui sunt Livius atque Naso, iv nimirum Tiberii anno, quo annum egit Velleius, pro calculis nostris xxxvi. Et serius Virgilio Rabirius, ut proinde nihil conferant illi ad aetatem Velleii accuratius constituendam. Quem tamen hic pro coaevo habet Velleius Livium, sit ne iure merito in ea classe censendus, alibi dubitat. [1] „Historicos, (inquit) ut Livium priorum aetati adstruas, praeter Cato-

1. Vell. L. I. c. 17.

nem, et quosdam veteres et obscuros, minus LXXX annis circumdatum aevum tulit „. Inde, ni fallor, quod hoc in loco mortem Livii ob oculos habuerit, quae sane erat suis natalibus, ut vidimus, multo serior. Illic autem scriptam historiam, quam absolverat quidem Livius post Velleii natales, et tamen ante annos eiusdem viriles finem Livius historiae suae posuerat in morte Drusi anno nimirum Varroniano 745. Is annus erat Velleio, pro nostra supputatione, aetatis x, quo nondum togam sumserat Velleius virilem, et ne per leges quidem sumere potuerat. Recte ergo, pro nostris etiam hypothesibus, dubitare potuit, historia Livii fueritne suae, an potius priorum (ut loquitur) aetati assignanda. Erat cur suae aetati illam attribueret, quod post suos demum natales fuerit absoluta. Erat praeterea cur priorum aetati illam adscriberet, non modo quod ante togam Velleii puram, manum illi Livius ultimam posuerit, sed quod maximam eius, cum plurium fuerit annorum, partem scripserit, ne quidem adhuc in rebus humanis existente Velleio. Bellum quidem [1] Actiacum, et Ianum clausum in primo historiae libro memorat Livius. Erat quidem proelium Actiacum Sept. 2. anni Varroniani 723. Ianum tamen clausum ipso an. 725 ponit Dio. Sed nupera admodum eius erat memoria, cum primam historiae scribendae manum admoveret. Nondum secundo clau-

1. Liv. L. I. c. 19.

ſus, quod factum anno 729 poſt bellum Cantabricum. Imo civile bellum paene ob oculos. Inde verba eius illa in initio, quibus ait ſeſe [1] „ feſtinare ad haec nova, quibus iam pridem praevalentis populi vires ſeipſae conficiunt. Ego, (inquit) contra hoc quoque laboris praemium petam, uti me a conſpectu malorum, quae noſtra tot per annos vidit aetas, tantiſper certe, dum priſca tota mente repeto, avertam„. Itaque anno 725 mox ineunte opus egregium aggreſſus eſt, quod anno demum 745 abſolverit. Et in mediam adeo eius partem inciderit Velleii, pro noſtris rationibus, annus natalis. Accurate admodum. ut recte poſſet dubitare Velleius, cui aetati hiſtoriam illam concederet, ſuaene, an priorum.

§. IX.

Primus Velleio in militia equeſtri gradus praefectura cohortis.

Conſtituto ergo natali noſtri auctoris anno, iam reliqua eius tempora ſimiliter, pro virili noſtra, diſponemus. Imprimis conſentaneum erat, ut anno urbis 749 et togam ſumſerit et cum toga militiae tirocinium inierit, aetatis nimirum anno XIV abſoluto, XV autem inchoato. Equeſtrem autem, de qua loquitur Velleius, militiam tribus potiſſimum gradibus diſtinxit Claudius [2], ut ſcilicet primo

1. Liv. L. I. Praef. 2. Suet. Claud. c. 25.

cohortem, post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret. Ordinis nimirum equestris adolescentes semper corporis sui militibus gregariis praefecti erant: praefecti nimirum cohortibus atque alis, ut erant Tribuni etiam praefecti in legionibus. Paulo aliter ille, sub quo Velleius militavit, Augustus. Maior erat, sub illo, praefectus alae tribuno legionis, ut facile colligitur e Suetonio [1]. Id quoque proprium habebant sub Augusto Senatorum liberi, quod illis „ [2] quo celerius reipublicae assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, et curiae interesse, permiserit: militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dederit„. Hi ergo militiam a tribunatu statim auspicabantur, ut nullae proinde fuerint illis cohortium praefecturae. Alia erat causa adolescentum familiis etiam senatoriis oriundorum, si tamen patribus non fuissent orti Senatoribus. His, ut lati clavi aetas provectior erat, ita etiam tribunatus dilatos fuisse, vel ex hoc ipso loco colligimus. Habere enim nescio quid senatorium videbatur proximus ille militiae senatoriae gradus, in equestri militia, tribunatus. Inde factum, ni fallor, quod latus clavus, (qui senatotorum erat, ut angustus equitum) tribunatum inituris concedi soleret, tanquam dignatis senatoriae candidatis. In hac autem classe se significat

1. Suet. Aug. c. 37. 2. Suet. ibid.

fuisse Velleius. Ait se [1] tribunum militum congressui Caii cum rege Parthorum interfuisse. ait praeterea, ipsum illum militiae gradum se ante sub patre Vinicii et P. Silio fuisse auspicatum. haec denique agnoscit fuisse stipendiorum suorum initia. Quis est, quin facile inde colligat, ut tirocinio suo proximus fuerit tribunatus, novum tamen fuisse militiae illius gradum, quem proinde olim a tirocinii primo initio non fuerat assecutus? Quis, inquam, est, quin et illud videat, novum illud tribunatus gradum sub Vinicii patre a Velleio fuisse susceptum? Nescio tamen, an inde liceat colligere, nondum fuisse in Senatu patrem Velleii, cum aut nasceretur ipse Velleius, aut toga virili suscepta militiam auspicaretur. Fieri vix potuit, ut aetate senatoria non fuerit pater Velleii, cum togam susciperet filius virilem atque tirocinium. Nec vero mortem obstitisse, quo minus in Senatum veniret, exinde constat, quod filius ei in praefectura successerit. Successit enim ille patri [2] anno urbis 757 exeunte, cum mitteretur in Germaniam Tiberius, cum annum ageret ad minimum aetatis XXII, multis sane post togam virilem tirociniumque eius annis. Nondum tamen constat, num tulerit illam Augustus legem ante Velleii tirocinium. Ne quidem illud constat, fueritne pater Auctoris nostri, in gente Velleia, senatorius.

1. Vell. L. II. c. 101. 2. Vell. L. II. c. 104.

§. X.

Ab illa cohortis praefectura ad tribunatum anno 752 promotus est Velleius.

Erit ergo operae pretium, explorare, quae aetas fuerit a militia una ad aliam transeundi a lege constituta. Inde enim regulas eliciemus in illorum temporum chronologia omni utilissimas. Legem certe fuisse sub Augusto indicant verba illa Suetonii. [1] „ Quicquid autem ubique militum esset, ad certam stipendiorum praemiorumque formulam adstrinxit, definitis, pro gradu cuiusque et temporibus militiae, et commodis missionum: ne aut aetate, aut inopia, post missionem solicitari ad res novas possent „. Ego veteris novaeque pubertatis intervallo primam illam equitum senatoriorum militiam conclusam arbitror. Ita nimirum, ut cohortibus praefecti fuerint, qui a toga sumta mox militiam inierant usque ad annum aetatis XVII absolutum, quo olim toga sumi solebat; inde militiam aliam, seu legionum illa fuerit, seu alarum, inchoarint. Ut enim erant, infra pubertatem, puerorum minorum maiorumque discrimina; sic etiam fuisse verisimile est in aetate adolescentiae, quae a toga sumta pertingit ad annos usque senatorios. Ita nimirum, ut prima aetas illa fuerit, quae propius accedebat ad pueritiam; alia illa, quae cum pueritia minorem affi-

1. Suet. Aug. c. 49.

nitatem habebat, maiorem autem cum adolefcentia. Hoc fi confilio aetatem illam diftinxerit Auguftus, confentaneum erat, ut veteres olim pueros ad annum ufque aetatis XVII cenfuerant, proinde a recepto poftea pubertatis anno XIV ad XVII pueris affiniores quam adolefcentibus iam quoque cenferentur; inde iam pubertatis utrofque tam veteres quam novos limites egreffi, adolefcentium magis quam puerorum, cenfu venirent aeftimandi. Id ergo proprium habebant Senatorum filii, ut a citimis pueritiae finibus laticlavium acciperent, tanquam Senatores defignati, et virilia inde munera omnia, nec alia etiam quam virilia, capefferent. Aetatem certe plenae barbae, quae a tertio coepit, tefte Macrobio [1], feptenario, anno nimirum XXI, primus in tribunis exigebat iam Imperator Hadrianus. Inde fufpicio eft a prima lanugine olim cenferi folitos, quae non longe abit ab anno, de quo diximus, aetatis XVII. Traianum etiam ab anno XIV tribunum alibi [2] obfervavimus. propter militiam fortaffe ante pubertatem plenam maturatam, et quia Senatoris erat filius. Nec fane plenam pubertatem ante annum illum cenfebant veteres, etiam illi, qui pueritiae finem aliqualem in anno XIV agnofcebant. Graecos annorum XIV vocaffe παῖδα, μελλίφηβον autem

XV

1. Macrob. Somn. Scip. L. I. c. 6.

2. Prael. IV. ad Spart. Adrian. §. 5.

xv, dein xvi ἐφηβον, tum xviii ἐξέφηβον ait Censorinus [1]. cum tamen veteres illi Graeci ab anno xvii completo pubertatem arcesserent militarem. Etiam apud Romanos iuniores, quorum mores habemus in corpore iuris civilis hodierno, plena pubertas non habetur ante annum aetatis [2] xviii labentem, ut existimo. non ea scilicet, quae satis esse censetur ad adoptiones, et nomen patris cum decore sustinendum. Annus ille, quo pater filium, etiam adoptitium, praecedere debuerit, annum ad minimum xvii completum supponit, quo filius, anno patris xviii editus, potuerit a patre generari. Nec sane anno xiv filii esse poterant, cum ne matrimonia quidem ante aetatem illam in moribus fuerint legitima. vim certe generandi a prima lanugine populariter aestimabant, Inde pueri [3] olim *investes* dicti, adolescentes autem *vesticipes*, a lanuginis huius quasi vestimento, quarum sane vocum usus erat ad pueritiam illam antiquiorem, pro sermonis etiam antiquioris usu, potissimum referendus. Sic erat merito, cur, recepta licet passim annorum xiv pubertate, antiquioris tamen ratio haberetur aliqua, saltem in distinguendis adolescentiae militiis. Huc enim fere spectabant omnes illae civium in tabulas censuales publicas, pro aetatum ratione, descrip-

1. Censorin. c. 14.

2. Vid. Lindenbrog. ad Censor. c. 7.

3. Fest. verb. pubes et verb. vesticeps.

tiones, ad usus nimirum militares. Ita a cohortis praefectura ad superiorem illum, quem appellat, tribunatus gradum, anno aetatis XVII absoluto, urbis labente Varroniano 752 ascenderit Velleius. Sic illo ipso anno, sub patre Vinicii, vel potius fortasse patruo (M. enim Vinicio legebatur in MS. si Burerio credimus, cum pater Vinicii, ad quem scribit, consulis consul ipse fuerit P. Vinicius anno Varroniano 755, sed aliam MS. lectionem, quaeque priori sententiae faveat, repraesentat Rhenanus) et P. Silio militiam illam fuerit [1] auspicatus, in visendis, ut videtur, provinciis positam, ut recte fortasse observavit Cl. Heinsius. Sic etiam commode interpretari possumus, quod dixerat Velleius, congressum illum Caii cum Parthorum rege sub stipendiorum suorum initia contigisse, nempe ut stipendia non militiae suae simpliciter, sed tribunatus, intellexerit; et recte tribunatus superiori anno suscepti initiis congressum illum assignaverit. Prima enim initia militiae suae non intellexisse, id vero tum e re ipsa, tum e verbis Velleii manifestum est. e re quidem ipsa, quod militiam nullam legamus decennali minorem: e verbis autem Velleii, quod novum sibi fuisse innuat, nec a militiae suae origine ductum, honorem tribunatus. Procedet interim nihilominus de stipendiorum initio ac fine prior illa nostra argumentatio, quod decimi stipen-

1. Vell. L. II. c. 101.

dii, quo numero nullus erat minor, initium aliunde numerare quam ab anno a nobis assignato non potuerit, si quidem exitum illo anno habuerit, quo ponitur ab ipso Velleio.

§. XI.

Cum tribunatu accepit Velleius etiam laticlavium.

Erant autem e tribunis angusticlavii alii, alii laticlavii. Patrem suum Suetonium Lenem bello Othoniano tribunum angusticlavium memorat filius [1] Suetonius historicus. Minorem hunc fuisse tribunum, et ex labore provenire solitum, testatur Vegetius [2]. Nempe ex labore propterea, quia non ex natalibus, qualis erat ille tribunatus, de quo agimus, familiarum senatoriarum. Erat itaque minor iste tribunatus ordinis duntaxat equestris, cuius nimirum ordinis insignia erant in angusticlavio, et praemii loco concedi solebat illarum familiarum militibus, quarum nondum ullae fuissent imagines. Nondum tamen illis ius erat petendi honores senatorios, nisi laticlavium praeterea a principe impetrassent. Sic latum clavum Sexto suo Euritio impetravit Plinius [3] iunior, tum deinde primum quaesturae honorem senatorium. Sic nullum erat lati clavi ius in ipso hoc minori tribunatu. Aliter se

1. Suet. Oth. c. 10.
2. Veget. *L.* II. c. 7.
3. Plin. *L.* II. Ep. 9.

res habebat in familiis nobilibus, et imaginum iure insignitis. his tribunatus ipse laticlavius erat. Laticlavii mentio in Suetonii Nerone [1]; tribuni etiam laticlavii, in eiusdem Domitiano [2]. Nempe per militiam hanc, quam dixi, ad honores senatorios adspirabant senatoriarum familiarum adolescentes, qui tamen nondum aetatem attigerant senatoriam. sic illi nimirum, ut non essent tamen antea in senatum adlegendi quam stipendia legitima absolvissent. Hoc nos docent [3] Seneca atque [4] Epictetus. Dedit tamen latus clavus, ut minus senatum ipsum, at ius tamen petendi honores senatorios. Itaque antea latum clavum induebant, quam admitterentur in senatum; tunc scilicet, cum ipsum inirent tribunatum. Itaque Senatorum filii (quos mox a toga virili ornatos laticlavio fuisse diximus) tribunatus deinde legionum, alarumque praefecturas capessebant, teste Suetonio [5]. Ita locum in horum militia nullum habebat prior illa tribunatu praefectura cohortium. Reliqui familiarum nobilium adolescentes, quorum patres non fuissent in senatu, militiam suam equestrem a cohortium praefecturis auspicabantur, nec laticlaviam proinde vestem induebant ante tribunatum. Ita Iulium illum Calvastrum (quem tribunum laticlavium appellat [6] Suetonius)

1. Suet. Ner. c. 26.
2. Suet Dom. c 10.
3. Senec. Ep. 47.
4. Epictet. ap. Arrian.
5. Suet. Aug. c. 38.
6. Suet. Dom. c. 10.

Dio [1] ait κεχιλιαρχηκεναι ες βελτιους ελπιδα. Et ſenatui pracdeſtinatum dicit Princeps apud [2] Caſſiodorum, cui laticlaviam dignitatem ipſe contuliſſet. Itaque ſpem fecit ſenatus laticlavium Senatoribus deſignatis, nondum tamen in Senatu conſtitutis. et hac ipſa tribunatus militia laticlavium acceperunt adoleſcentes nobiles ſenatus candidati. Sic intelligimus, ut laticlavium illum a Suetonio in Neronis vita memoratum (quem Iulium Montanum fuiſſe docent [3] Tacitus et [4] Dio Xiphilinianus) eundem βουλευτην appellet idem ipſe [5] Dio. Habebant enim nonnulla ſenatus iura Senatores illi etiam deſignati; ut certum eſt habuiſſe alios, qui ad conſulatum aut praeturam alioſve honores curules atque ſenatorios fuiſſent ſimiliter deſignati. Veriſimile eſt locum illis fuiſſe in ſenatu ſine iure ſententiae vel ſuffragii. Sic enim olim aderant in ſenatu pueri [6] etiam ſenatorii in toga etiam praetexta ante tempora Papirii Praetextati. Aliter autem laticlavium accipiebant, qui merito ſuo id conſequebantur, quam illi, quibus hoc ipſo nomine debebatur, quod ſtirpe eſſent oriundi ſenatoria. praemium meritorum dedit per codicillos ipſe Princeps. Nobiles, ubi tribunatum attigiſſent, domi etiam laticlavium ſine codicillis, induebant, quod ſcilicet illis tribu-

1. Dio L. LXVII.
2. Caſſiod. Var.
3. Tacit. Ann. XIII. 25.
4. Dio Xiph. in Neron.
5. Dio L. LXI.
6. Gell. Noct. Att.

natus ipse laticlavii ius, pro legum receptarum instituto, conferret, hoc nos docet, ni fallor, alicubi Plinius [1] iunior. Hac erat noster in classe Velleius, qui proinde quo anno tribunatum accepit, eodem etiam et laticlavium acceperit.

§. XII.

Tribunus Velleii Castrensis qualis.

Erat praeterea Velleio in hoc equestris militiae tribunatu superior postea gradus. Prius enim quam cum Tiberio mitteretur in Germaniam, ait sese castrorum [2] etiam tribunatu functum. Non certe hoc in loco, ut opinor, innuit, priorem suum tribunatum non fuisse castrensem, quasi nimirum fuissent illo Velleii aevo, quae postea erant receptissimae, in satellitio principis militia alia armata, alia non armata, quod scilicet omnes domus Augustae satellites communi nomine milites appellarentur. Sed vera erat, ut videtur, illis temporibus decennis illa militia, quae ad senatum necessaria erat, Verae illae cohortium praefecturae, veri legionum tribunatus, alarumque equestrium. Itaque castrorum nomine intellexisse suspicabar Velleium, castra praetoria, quae solebant castrorum nomine simpliciter usurpato designari. Solebant certe milites gregales a militia legionum ad militiam praetorianorum

1. Plin. Epist. VIII, 24. 2. Vell. L. II. c. 104.

promoveri, habituri deinde et ſtipendium auctius, et pauciores ad honeſtam miſſionem annos, et poſt miſſionem honeſtius (ut videtur) emeritum. Id cum locum habuerit in militia militum gregalium; erat profecto conſentaneum, ut locum ſimiliter habuerit in tribunis. Ita praetorianorum etiam tribunatus honeſtiores fuiſſe veriſimile eſt, et melioribus ſtipendiorum conditionibus. ut proinde in honore ſuo poſuerit Velleius, quod a tribunatu legionariorum ad praetorianorum tribunatum fuerit evectus. Nec erat certe a veterum ſermone alienum, ut militia praetoriana, caſtrenſis nomine, proprio ſuo quodam iure deſignaretur. Caſtra illi ſtativa ad urbem habebant in via [1] Nomentana, caſtra vulgo ſimpliciter appellata. Poſtea deinde receptiſſimum erat, ut Imperatoris mobile ſatellitium, et caſtra latine, et graece στρατοπέδον audiret. non ab aliis certe caſtris quam his ipſis, de quibus agimus, praetorianorum. Sed nondum profecto ulla erant, cum locum illum obiret Velleius, caſtra illa praetoriana. Satellitium quidem principis inſtituerat [2] Auguſtus, ſed vagum et per multa loca diſperſum municipiorum ipſiuſque urbis, et ſine caſtris, teſte Suetonio. In caſtra poſtea coëgit, Seiani conſilio [3], Tiberius. De aliis ergo caſtris, ni fallor, non multum tamen

1. Suet. Ner. c. 48.
2. Suet. Aug. c. 49. Dio L. LV. ann. 758.
3. Suet. Tib. c. 37. Tacit. Ann. IV, 2, Vict. de Caeſ. in Tiber.

a Roma diſtantibus, intelligendus eſt Velleius. Caſtrorum autem tribunatus ille propterea appellari potuit, quod et in caſtrametationis diſciplina verſatus fuerit, et quod ad munera caſtrenſia obeunda illum obligarit.

§. XIII.

Illum inivit Velleius an. 754 tenuitque ad annum 757.

Quo vero tempore honorem illum novum conſecutus noſter fuerit, de eo paucis diſquirendum erit. Illud certum, medio alicui anno aſſignandum eſſe inter annum urbis Varronianum 753, quo Caio ſe in Oriente teſtatur adfuiſſe Velleius, et 757, quo Tiberium nuper adoptatum eſt comitatus in Germaniam. Priori anno unicum memorat tribunatum, et in eo quoque ſtipendiorum duntaxat initia, non taciturus procul dubio novam aliquam, ſi quam habuiſſet, honoris acceſſionem, vir (ut ex hoc ipſo opere conſtat) honorum ſtudioſiſſimus. Poſteriori autem anno ſe hoc tribunatu caſtrorum iam antea functum fuiſſe teſtatur. Si quidem tribunatum caſtrorum praetorianorum, pro exemplo militum poſtea praetorianorum dediſſet Auguſtus; ſic duo fuiſſent, ad minimum, anni in legionario tribunatu neceſſarii, priuſquam poſſet ad tribunatum praetorianorum aſcendere. Sic anno 754 caſtrorum illum tribunatum adeptus fuiſſet. Atqui iam oſten-

dimus, ita nullam fuisse his temporibus disciplinam praetorianorum, ut ne quidem fuerint castra praetoriana. Et tamen illum ipsum eundem annum fuisse puto, quo novum illum castrorum tribunatum Velleius consecutus fuerit; et bina adeo stipendia in priori legionum tribunatu satis fuisse ad secundum hunc castrorum tribunatum, ad eundem plane modum, quo se res habebat in disciplina militum gregalium atque praetorianorum. Eo sane facit, quod duos ille duntaxat numeret suos in priori tribunatu duces, patrem et P. Silium, singulos, ut videtur, annuos. Certe biennes esse vix poterant. Sic enim illum tenuissent ad annum usque 756; nec locum ullum reliquum fecissent tribunatui castrorum explendo ante annum 757, quo Tiberium Velleius comitatus est in Germaniam. Sed si annuos illos supponamus, sic omnia satis accurate respondebunt. Sic enim ab anno 752 ad 753 sub patre Vinicii meruerit Velleius. ab anno autem 753 ad 754 sub P. Silio. Sic quidem ille, ut secundus eius sub Silio annus antea coeperit, quam Caius Caesar cum Partho congrederetur. Nec enim a Kalendis Ianuariis iniri solebant munera provincialia; sed vere ineunte, et mari libero itinera plerumque auspicabantur. Tempus vero, quo munere defungi oportebat, nec a designatione supputabant, et ne quidem ab itineris initio; sed ab eo usque tempore, imo die, quo in provinciam appellebant, ut e Ci-

ceronis provincia Ciliciensi manifestum est. Sic annis civilibus mediis incipere solebant atque desinere anni munerum publicorum militarium. Olim certe mitti in provincias solitos etiam privatos, qui provincias viserent, testem habemus apud Tacitum [1], Thraseam Paetum. Sic etiam sub Principibus, ut erant Principibus sui Curiosi, qui Caesaris nomine provincias Caesaris visitabant; ita populi provincias privatos fuisse, qui populi nomine visitarent, est sane verisimillimum. Id quoque consentaneum erat, ut aliis [2] populi magistratibus, sic etiam his provinciarum visitatoribus, tempus fuisse annuum. Nec sane aliae fuisse videntur quam populi provinciae, quas visitavit cum suis ducibus Velleius. Erat certe populi Macedonia his saltem Augusti temporibus, quae etiam ordine censetur a [3] Dione. Erat, inquam, cum illa pariter Achaia, usque ad tempora Tiberii, annumque aerae Varronianae 768. Tum primum Caesari traditas, et e [4] Tacito discimus et [5] Suetonio. Astipulatur etiam [6] Dio, tantummodo de Achaia alibi [7] dubius, num et illam Tiberius, una cum Macedonia, a populi iure ad se transtulerit. In eo certe dubius non est, quin utramque populo assignarit Augustus, cum primam provinciarum

1. Tacit. Ann. XV, 21.
2. Dio L. LIII.
3. Dio L. LIII. an. 726.
4. Tacit. Ann. I. 76.
5. Suet. Claud. c. 25.
6. Dio L. LX.
7. Dio L. LVII.

distributionem faceret, anno nimirum urbis 726. diu ante hunc annum, de quo agimus, Velleii. Proinde ambas rursus populo reddidit Claudius, Dione ibidem, ubi supra, teste, et Suetonio. Asiam praeterea a se peragratam testatur Velleius, proconsularem scilicet: quam vel exinde constat populi provinciam fuisse, cum proconsules illarum provinciarum peculiari quodam iure proprios faciat Dio, qui etiam illam in populi provinciis verbis recenset disertissimis. Aliam ille provinciam nullam nominat, excepta Thracia, quae neutrius erat, sed Regulorum populo Romano amicorum. Itaque qui populi provincias visitarunt Velleii duces, tempus etiam administrationis habuerint oportet, pro populi more, annuum. Etiam Orientis provincias in utroque maris Pontici latere a Velleio lustratas populi fuisse verisimillimum est. Bithyniam certe et Pontum finitimam populo attributas testatur Dio. Et aliunde verisimile est, prioris tribunatus non magnam fuisse moram. Prior ille tribunatus certe sub ducibus illis fuisse videtur, quibus non una aliqua provincia credita fuerit, sed multae potius visendae atque lustrandae. Nec proinde ulla est necessitas, cur illum annorum plusquam duorum fuisse supponamus. Ita sane loquitur Velleius, quasi post illud Caii cum Parthorum rege colloquium, rebus deinde aliis eiusdem, post provincias lustratas, non interfuerit. Consulatum ille anno sequenti 754 inivit, cuius ta-

men nulla mentio in Velleio. Sic etiam de Tiberii [1] reditu, qui anno rediit 755, quasi laetitiae, qua receptus est, incredibilis ipse testis fuisset oculatus. Et quidem Roma illum missum fuisse constat, cum Tiberio comes daretur in Germaniam. Nec sane provinciarum, post Caii illud colloquium, mentionem ullam facit ante expeditionem Germanicam. Itaque nisi nos fallant nostrae coniecturae, tribunatum illum castrensem tenuerit ab anno 754 ad 757. Sic iustum impenderit secundo militiae gradui quinquennium, duos nimirum annos tribunatui legionario, tres autem reliquos tribunatui castrorum. Firmant praeterea supra dicta, quae alibi [2] de Graecorum disciplina militari observavimus. Habebant illi leviorem quandam militiam in περιπόλοις. et quidem ipsam, ut fuit prior ille, pro nostris hypothesibus, Velleii tribunatus, biennem. imo eadem, qua nos etiam Velleium fuisse supponimus, aetate. Coepit enim illa a receptae apud Graecos pubertatis fine, anno nimirum aetatis XVII, tenuitque ad finem anni XIX. Iisdem plane limitibus, quibus etiam nos priorem illum Velleii tribunatum conclusum fuisse existimamus. Nec sane abhorrebant ab illa praesidiorum limitaneorum apud Graecos περιπόλεια res etiam a Velleio in priori illo tribunatu gestae. Provinciarum enim limitanearum lustratio

1. Vell. L. II. c. 103. Adrian. §. 11.
2. Prael. V. ad Spart.

quid aliud, quaeſo, erat quam illa ipſa praeſidiorum limitaneorum περιπόλεια? Sic nempe accurate noſtris rationibus reſpondet huius militiae tempus, ſi quidem hic Romani Graecos, quod in pleriſque aliis ſolebant, fuerint imitati.

§. XIV.

Horum omnium honorum tempora a legibus conſtituta fuiſſe videntur.

Digna porro, quae expendantur, arbitror Velleii illa in hac cauſa verba: „Hoc tempus me, functum ante tribunatu caſtrorum, Tiberii Caeſaris militem fecit. Quippe protinus ab adoptione miſſus cum eo praefectus equitum in Germaniam ſucceſſor officii patris mei, caeleſtiſſimorum eius operum per annos continuos IX praefectus aut legatus, ſpectator, et pro captu mediocritatis meae adiutor, fui„. Id innuit nimirum, ut puto, neceſſarium quendam fuiſſe in his honoribus nexum, et tempus, pro ſuperiori illa, cuius meminit Suetonius, Auguſti diſpoſitione, legitimum. ita nimirum ut tribunatu functus dici non potuerit, niſi tempus tribunatui univerſo conſtitutum expleviſſet; ut praeter tribunatum legionum, alius ille tribunatus caſtrorum fuerit etiam neceſſarius; ut tribunatu utroque functus tum demum fuerit novae illi equitum praefecturae maturus, et per legem idoneus; ut denique hoc tempore ſtipendia tribunatus expleverit, ut iam caſtrorum illo tribu-

natu functus, Tiberii deinceps miles esse posset. Has enim sibi gratulatur εὐτυχίας, et pro bono quasi omine habere videtur ipse mirus adulandi artifex, quod temporum suorum legitimorum rationes ita cum Tiberii expeditione Germanica concurrerint, ut integrum ei fuerit, rerum a Tiberio in Germania gestarum illo novennio omnium vel testis esse, vel particeps. Alioqui nulla fuisset illi necessitas honores olim a se gestos commemorandi, nisi quatenus viam struebant ad ultimam illam, quam sub Tiberio gessit, militiam. Hic ergo, si Velleii mentem assequimur, ita legitimi fuerint illi adolescentum senatoriorum, dum in ordine equestri essent, honores, et honorum tempora, stipendiorumque in honore unoquoque numerus. Sic erunt nostrae illae observationes, non in historia Velleii sola, sed in coaeva illorum temporum chronologia universa, utilissimae.

§. XV.

Tribunatus ille posterior castrensis opponebatur beneficiario. Praefectura equitum eadem, quae alae.

Erat enim certe praefectura illa equitum idem militiae gradus cum eo, quem alae praefecturam dixerat Suetonius. cum eo nimirum idem, qui tertius erat in militia equestri, et cui senatoriis adolescentibus non alia lege locus erat, nisi ante functi fuissent tribunatu. pro lege scilicet Augusti, (sub quo

vixit militavitque Velleius) qui tertium locum illi praefecturae dedit, cui secundum postea a Claudio datum observavimus. In eam enim sententiam addit praeterea [1] Suetonius, „ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios praeposuit singulis alis„. Cum ait, laticlavios alis fuisse praepositos, exinde facile colligitur, tribunatu fuisse defunctos, cum non antea laticlavium accipere solerent quam fuissent in tribunatu. Ait praeterea, factum hoc ab Augusto eo consilio, ne quis expers castrorum esset. Inde etiam et illud intelligimus, quam accurate in vicem responderint alarum illae in castris praefecturae, et tribunatus eas praecedens, similiter et ipse castrorum. Fierique adeo potest, ut prior ille tribunatus, qui castrorum non fuit, beneficiarius duntaxat fuerit, cum immunitate a muneribus castrensibus. Inde fortasse factum, ut, praeter tribunatus illos priores beneficiarios, necessarii fuerint praeterea tribunatus castrorum, quibus imbuerentur nobiles adolescentes disciplina munerum castrensium. Et suum tamen uterque tribunatus usum habebat in disciplina reipublicae. Inserviebat tribunatus beneficiarius otio illi, quod studiis forensibus Iuris, Oratoriae, Iudiciorumque impendendum erat ab illius etiam amplissimi ordinis adolescentibus, ut stipendia interim ad locum in senatu capessendum necessaria nihilominus pro-

1. Suet. Aug. c. 38.

cederent. Ne tamen rerum militarium plane rudes ad clavum reipublicae admoverentur, cautum est, ne solus ille qui muneribus militiae vacaret tribunatus ad locum in senatu sufficeret, sed alii accederent praeterea tribunatus anni, veris officii tribunitii et castrensis muneribus impendendi. Et quidem tribunatus istiusmodi beneficiarii, quique munere vacaverit, mentio occurrit apud [1] Ciceronem, ne iuniora addam Velleio testimonia. Nominabantque etiam in libera republica magnam tribunorum partem Imperatores ducesque exercituum. Inde consulum legimus beneficiarios, nec illorum tantummodo, sed praesidum etiam provincialium. Penes illos erat, tribunos a se designatos a muneribus excusare. Ita non milites duntaxat gregales, propter praemia honestasque missiones, sed tribunos etiam propter munerum vacationes habebant sibi obnoxios, veteranos, beneficiarios, evocatos. Redibant enim ad militiam, duce revocante, missi olim veterani, nulla iam cogente lege, sed veterum duntaxat beneficiorum gratitudine. Nec alia, ut puto, causa nominavit Velleius [2] suos in hoc tribunatu duces, patrem Vinicii, ad quem scribit, consulis Marcum, et P. Silium, quam hac ipsa gratitudinis. Inde illa cum Vinicio consule necessitudo. Inde et illa cum A. Licinio [3] Nerva Siliano Publii,

1 Cic. ad Qu. fratr. II,15.
2. Vell. *L.* II. c. 101.
3. Vell. *L.* II. c. 116.

ſub quo meruit, Silii filio, cuius mentioni locum ſe quaeſiſſe fatetur ipſe, iuſtoque tribuit ſine mendacio candori. Nam et poſterorum caritatem conciliabant iſtiusmodi deceſſorum beneficia. Itaque beneficiarium ſuum illum fuiſſe tribunatum, his, ni fallor, indiciis prodit ipſe Velleius. Optimeque ſane reſpondet Graecae Epheborum militiae domeſticae, quaeque patriae fines egreſſa non fuerit, tribunatus ille, de quo agimus, non caſtrenſis, ſed beneficiarius. Fecitque otium ſtudiis fori non minus ad rempublicam tractandam neceſſariis, quam fuerint illa militiae. Inde conſentaneum erat, ut vacationem illam a muneribus tam brevi ſpatio concludendam non permitterent tantummodo, verum etiam in legem verterent. Supererant enim inter Graecae Romanaeque pubertatis fines anni aliquot, ſtudiis hiſce tam utilibus etiam ipſi non inutiles. Poteſt itaque hoc etiam modo intelligi caſtrorum tribunatus, rectiusque quam de tribunatu praetoriano. Ne quidem hic nocebit rationibus noſtris, quas dedimus, chronologicis. Illud certum, hoc urbis anno Varroniano 757 finem fuiſſe tribunatus Velleii caſtrenſis univerſi, initium autem militiae novae, quam obierit ſub Tiberio. Non [1] diu Tiberium poſt adoptionem in urbe dicit moratam fuiſſe patriam, ſed protinus in Germaniam miſiſſe. Et ſe etiam teſtatur hoc ipſo tempore Tiberii Caeſaris

1. Vell. L. II. c. 104.

militem fuiſſe factum, et protinus ab adoptione miſſum cum eo praefectum equitum fuiſſe in Germaniam. Tiberii adoptionem eo in loco, ni fallor, intelligit; non autem ſuam Velleius, ut aliquando ſuſpicatus ſum, e gente, in qua natus fuerit, Magia. Non aliter potuit, ut oſtendimus, per annos continuos IX Tiberii ſpectator fuiſſe aut adiutor, ſi ſerior eius illa fuerit cum Tiberio militia. Potuit fortaſſe triumpho Tiberii ſpatium illud terminari, et de coepto novennio duntaxat intelligi, cum certe ultra annum urbis 765 triumphus ille differendus non ſit. Illud certum, poſt triumphum, nunquam deinde in Germaniam rediiſſe Tiberium.

§. XVI.

Legati legionum non alii, illis temporibus, quam tertii, ad minimum, anni ſenatores.

Manſit ergo Velleius in hoc tertio militiae gradu biennio, uſque ad equeſtris militiae finem. Anno autem urbis 759 expletis ſtipendiis, Roma adeunda erat ad petendam quaeſturam. Redierat autem ſub finem anni 758 finitis aeſtivis in urbem Tiberius, et cum eo fortaſſe Velleius. Sed maior imminebat ſub initium anni 759 belli moles, deficiente cum ſuis Marcomannis Maroboduo, et Pannonia quoque univerſa atque Delmatia. Manſit autem aliquantiſper poſt Tiberium, ut videtur, in urbe Velleius quaeſturae huius anni comitiis can-

didatus. Designatus quaestor partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxit ad filium eius, iam scilicet antea reversum in Germaniam. Hunc speciosi ministri locum appellat ipse [1] Velleius. In eo se, nec dum Senatorem, Senatoribus aequatum fuisse dicit, nec infimi in senatu ordinis illis, sed designatis etiam tribunis. Nondum erat nimirum Senator, qui nondum Quaestor erat, sed ad quaesturam duntaxat designatus. Hoc tamen ministerium suum ita Senatoribus proprium fuisse innuit, ut ne quidem Quaestoribus credi antea soleret, quam etiam ipsi ad superiorem tribunatus in senatu gradum fuissent ad minimum designati. Primum nimirum in senatu annum quaestura ipsa occupavit, secundum provincia quaestoria. Ita factum, ut non ante tertium, ex quo in senatum admissi fuissent, annum, novum illum, quem tantopere depraedicat Velleius, honorem capessere possent vel Senatores. Tunc etiam ea lege, ut nullam passi fuissent in tribunatu ambiendo repulsam. Quae vero erat illa in homine ordinis iam equestris tam speciosa militia? Quod scilicet exercitus partem duxerit. Num igitur cohortes alasque, quibus equestres praefectos fuisse diximus, pro exercitus proinde partibus non habendas esse censebimus? Erant illae procul dubio, remotiori quodam sensu, exercitus partes. Propiori tamen sensu legionum potius au-

1. Vell. L. II. c. 111.

xiliorumque, quam exercitus partes erant appellandae, qua nimirum in uno cum legionibus censu auxiliares etiam veniebant intelligendi. Num ergo legionem fuisse censebimus, quam ad Tiberium duxerit Velleius, partem nimirum exercitus consularis, qui duabus, ad minimum, constare solebat legionibus? Hoc procul dubio voluit Velleius. Erat tamen, fateor, cur, id ne verum esset, aliquando dubitarem, quod proximo a quaestura anno tum demum se legatum eiusdem ad eundem Tiberium missum fuisse testaretur. Innuens, ut existimabam, nondum se, cum antea mitteretur in Germaniam, fuisse legatum. Quod si legatus nondum fuisset, legio integra vix potuit esse, cuius praefectus alius fuisset a legato. Sin legionis pars duntaxat fuerit pars illa exercitus, cui praefuit Velleius, ubinam quaeso speciosum illud erit ministerium? ubinam honor plusquam equestris et plane senatorius? ubinam dignitas quaestura ipsa superior, et tribunatui plebis par, saltem designato? An quod legionis partem, ad Caesarem tamen, ducere nemini licuerit, praeter quam tribunitio Senatori? Habebant sane illius rationem veteres, ad quem mittendus esset nuncius, in nuncii dignitate, quod multis probari posset, si opus esset, exemplis. Quid si etiam legionem integram, absente legato, ducere licuerit primae cohortis tribuno? Et tamen primae cohortis tribunus nemo fieri posset, qui tri-

bunatu plebis senatorio, ad minimum designato, non ante fuisset insignitus? Sic omnia optime cohaererent. Praecedebat enim prima cohors alias et numero (Vegetio [1] teste) militum, et dignitate. Et milites habuit selectissimos, et numerum eorum duplo fere, quam aliae, maiorem. Et pignora habuit omnium carissima, legionis aquilam, et Principis imaginem. Proinde consentaneum esse potuit, ut tribunum habuerit tam aetate reliquis, quam etiam dignitate celsiorem. Itaque cum aliis cohortibus tribuni sufficerent, aetate pariter atque ordine duntaxat equestres; in hoc primae cohortis tribuno congruum esse potuit, ut, praeter ordinem amplissimum, aetas praeterea esset senatoria. Sic enim reliquis tribunis cum auctoritate praeesse potuit, tam angusticlaviis quam laticlaviis, si et ordine angusticlaviis et laticlaviis aetate fuisset superior. Sic etiam locum absentis legati supplere, si quid haberet in se eximium, quo necessaria posset in reliquos tribunos auctoritas conciliari. Quod si senatorium illum fuisse oporteret; inde praeterea intelligeremus, cur tribunatus ille plebis, qui hoc tempore senatorius erat, fuerit in tribuno illo, de quo agimus, cohortis primae necessarius. Exigebat hoc imprimis nomen commune tribuni: ea potissimum de causa, quod tribuni illi plebis fuerint etiam ipsi a prima sua origine militares. Exigebat

1. Vell. *L.* I. c. 6.

praeterea, quod militaris non esset primus in senatu gradus quaesturae, nec aedilitas curulis, quae parem in senatu locum sibi vendicabat cum senatorio illo tribunatu plebis, pro ordine saltem legis annariae. Ut tamen non fuerit quaestura officium ex professo militare, et alios saepe a quaestoribus legatos haberent, qui pluribus legionibus imperabant; urgente tamen necessitate satis erat vel Quaestor, qui exercitui, absente Imperatore, praeesset. Sic legimus Tremellium Scrofam Licinii Nervae praetoris quaestorem in Macedonia (inquit [1] Varro) provincia relictum, qui praeesset exercitui, dum praetor rediret. Fuerit ne ille tribunus, vel designatus, de eo nihil Varro. Imo non fuisse verisimilius est. Nec enim ante quaesturam provincialem, qua iam insignitus erat Tremellius, proximum quaesturae honorem vel petere licuit in Comitiis. Sed opus non est, ut eo confugiamus. Non opus est, ut verba Velleii ita interpretemur, ut quia postea legatus missus fuerit, proinde antea legatus non fuerit. Nec ratio ulla verisimilis est, cur vel legatus abesset legionis iam noviter conscriptae. Nec enim nominandus erat ad legationem (illa praesertim urgente necessitate) qui munere defungi non posset. Imo legatum se fuisse ipse nos postea docet Velleius [2], cum legatos ait, inter quos ipse fuerit, partitis fuisse praefectos hibernis. Erant

1. Varr. R. R. L. II. c. 4. 2. Vell. L. II. c. 113.

enim, ut mox[1] oftendemus, hiberna illa anni 759, cum nondum quaefturam ipfam obiiffet. Hinc ergo intelligimus, non aliis credi folitas, cum fcriberet Velleius, legionum legationes, quam tribunis plebis ad minimum defignatis, vel tertii faltem anni Senatoribus. Quae certe obfervatio in re chronologica horum temporum utiliffima eft.

§. XVII.

Anni 759 rebus geftis plerifque aderat Velleius.

Et quidem hoc anno 759 rebus plerifque a Tiberio geftis interfuit Velleius. Ab eo nimirum tempore, quo Germaniam attigerat cum parte illa exercitus, quaecunque demum fuerit, miffi ab Augufto. Hunc enim annum novi belli Marcomannici primum numerat. „Quas nos[2] (inquit) primo anno acies hoftium vidimus?„ etc. eo et illa fpectant: „Felix eventu, forte conatu, prima aeftate belli Meffalini opus mandandum eft memoriae, „ etc. Haec Meffalini gefta, fubita adhuc rebellione, fuiffe tradit Velleius, huic etiam ipfi, in quo verfamur, anno 759 affignat Dio[3]. Sed vero primus ille annus non belli Delmatici primus, pro Velleii certe rationibus, intelligendus eft. Non fcilicet triennii primus, ut olim fufpicabamur, quo debellatum in Il-

1. §. 17. 18.
2. Vell. L. II. c. 111. ib. cap. 112.
3. Dio L. LV.

lyrico scribit [1] Suetonius. Fateor hoc ipso anno fuisse belli illius Delmatici initium. Sed triennii initium inde arcessendum est, ex quo venit in Pannoniam ipse Tiberius, cum hoc anno bellum illud per legatos tantummodo gereretur. Idque satis manifeste innuunt verba Suetonii. Loquitur hic Velleius de duplici suo in Germaniam adventu, alio qui quaesturam praecesserit, alio qui eandem fuerit secutus. Sic ille nimirum ut primum annum, primamque aestatem de priori suo adventu intellexerit. Primus ergo hic, de quo loquitur, annus quaesturae erat suae tantum modo designatae, quo missus ab Augusto post comitia (quibus quaestores etiam candidati erant in sequentem annum designandi) rebus deinde a Tiberio, post appulsum suum, gestis aderat. Medium annum tenebant pro more comitia. Erant praeterea dies aliquot necessarii itineri in Germaniam. Sic anno exeunte res gestae fuerint oportet, quas videre, quibus ipse posset interesse Velleius.

§. XVIII.

Anno 760 quaestor, exeunte tamen, cum Tiberio, Velleius.

Sequebatur annus quaesturae Velleianae, urbis nimirum 760. Huius maximam partem egit Romae, vacans nimirum muneribus officii. Sic tamen ut tempore, quam posset per leges, minimo abesset

1. Suet. Tiber. c. 16.

a Tiberio. Certe superioris anni 759 fine, se legatis illis accenset Velleius [1], quos hiemis initio Tiberius partitis praefecerit hibernis. Itaque hiemis partem saltem aliquam in castris egit Velleius, dum alius suffici in locum eius posset, qui vicem eius absentis suppleret. Sed hiberna Velleius aestivis militaribus opponit, quae certe ipse non ultra mensem Decembrem [2], cum essent diutissima, producit. Hoc autem anno solito maturiora fuisse, verisimile est. Inde enim suspicionem captavit, ut videtur, Augustus protracti a Tiberio ultra necessitatem belli, quod in hiberna citius, quam necesse esset, sese receperit. Meminit certe Velleius hibernorum, quae etiam in [3] autumnum inciderint. Sic apud illum certum est, cum de re praesertim militari loquitur, non quartam anni partem, quam proprie hiemem appellamus, hibernorum nomine denotari. Et asperrimae hiemis initio ipsa illa, de quibus agimus, hiberna tribuit ipse Velleius. Sic potuit hibernis in Germania praefici Velleius, et tamen Romae anni sequentis initio adfuisse ad quaesturam in urbe, pro more, ineundam, Etiam anni, quo quaestor erat, partem saltem aliquam cum Tiberio fuisse, nec domi modo, verum etiam militiae, exinde colligimus, quod per annos continuos IX Tiberii se seu spectatorem,

1. Vell. L. II. c. 113.
2. Vell. L. II. c. 101.
3. Vell. L. II. c. 114.

seu etiam adiutorem, fuisse testetur. Anni illi continui esse non poterant, nisi singulorum partem saltem cum Tiberio egerit. nec spectator ille, aut adiutor, erat, praeter quam rerum in militia gestarum. Hanc enim certe Tiberii militiam illo in loco celebrat Velleius. Et propterea sortem quaesturae provincialis (quae anni erat 761) remisit noster hoc ipso, ut videtur, fine, ut Tiberio adularetur, artis (ut ex hoc ipso libro constat) adulatoriae peritissimus; ne quam scilicet periculi, quo versabatur ille, partem defugisse videretur. Sic redierit ad Tiberium sub finem anni 760, quo ipsam quaesturam gesserat, post tempus tamen sortiendis provinciis constitutum. Inde enim liberior erat muneris administratio, partem nimirum muneris suscipientibus magistratibus in annum sequentem designatis. Ita, Caesarem, nondum finito praeturae anno, in provinciam tamen concessisse alibi [1] probavimus. Tum demum legatum se noster ab Augusto rursus ad Tiberium missum fuisse docet. Vel inde constat, quanquam anni 759 hibernis praefectus fuerit, non tamen ita illum in hibernis detentum esse, quin Romam redierit ad quaesturam gerendam, quae primo anno urbana fuit, non provincialis; imo ut in senatum adlegi posset, quem nemo alibi, quam Romae haberi solitum existimat. Nec enim locum hic habebant Senatores e principis

1. Append. ad Prael. Camden. p. 725.

consilio, quorum decreta senatusconsultorum vim habebant. Non constat ullos e consilii huius sententia in senatum adlectos, utcunque ius in senatum adlegendi pro iure potestatis censoriae ipse princeps habuerit. Et certe nondum consilium illud senatorium aderat Tiberio, sed Augusto soli, cum nondum conderetur senatusconsultum, quo Tiberium Velleius aequatum dicit Augusto.

§. XIX.

Annus 769 primus belli triennis Illyriciani gesti a Tiberio.

Et quidem ab hoc ipso quaesturae Velleianae anno urbis 760 triennium illud inchoandum est, quod bello Illyriciano impenderit Tiberius teste Suetonio. Nec erit a nostro consilio alienum, ut hoc verum fuisse probemus, cum et ab aliis nondum sit (quod quidem sciam) occupatum, et nonnulla inde pendeant utilissima in nostra hac, de qua agimus, chronologia Velleiana. Iam quidem antea concessimus, initium tumultuum Delmaticorum in annum superiorem 759 esse conferendum. Imo et praelia illius anni in rebelles habet Dio. Non tamen veniunt illa in censum triennii de bello a Tiberio ipso gesto Suetoniani. xv enim Tiberii legiones illo triennio memorat [1] Suetonius: x tantummodo superioris anni fine [2] Velleius. VIII nimirum

1. Suet. Tib. c. 16. 2. Vell. L. II. c. 113.

e praesidiis utriusque Germaniae, superioris inferiorisque, pro dispositione Augusti, numerant [1] Tacitus atque [2] Dio. His novae aliae duae accesserant ex Italia nuper conscriptae, in quarum altera meruit Velleius. Reliquae v erant provinciarum, in quibus bellum gerebatur, singularum singulae, duarum nempe Moesiarum, duarumque similiter Pannoniarum, cum legione illa [3] semiplena, cuius meminit Velleius, in ipsa etiam Delmatia. Imo illum transmarinarum provinciarum exercitum e v legionibus fuisse conflatum, testis ipse [4] Velleius est. Transmarinas provincias Italiae respectu intellexit, trans mare nimirum Adriaticum. Erat enim A. ille Caecina alterius Mysiae praefectus, nec longe Silvanus Plautius, ut e Dione discimus. Utcunque tamen exercitum Tiberii universum x fuisse duntaxat legionum [5] docet Velleius, qui etiam illud addit, paucis tantummodo diebus ad refovendas ex itinere eius vires, cum Tiberio fuisse moratum, mox eo unde venerat fuisse dimissum, in partita scilicet hiberna. Haec nempe fine anni 759: unde satis constat nondum coepisse bellum illud trienne, quod cum legionibus xv gesserit Tiberius. Primus ergo belli annus is ipse est, quo quaesturam gessit ipse Velleius, Varronianus nimirum 760. Tunc

1. Tacit. Ann. IV. 5.
2. Dio L. LV. Ann. 758.
3. Vell. L. II. c. 112.
4. Vell. L. II. c. 112.
5. Vell. L. II. c. 113.

ad Tiberium Sisciae hyemantem conveniunt ex hibernis quaeque suis xv illae, quarum opera usus est in illo bello, legiones. Sed serius movit ex hibernis Tiberius, eo fortasse praetextu, quod legiones exspectaret. Inde cunctari visus Augusto, bellumque, quam necesse est, diutius protrahere. Haec scilicet utilia Tiberii consilia, quae illum speciosis praetulisse [1] dicit noster adulator. Inde suspectus Augusto; missusque adeo Germanicus, qui bellum una cum Tiberio administraret. Additi Germanico milites, non ingenui modo, sed liberti etiam, cum alii, tum quotquot a viris et mulieribus servos, sex mensium annona, praeter pretium, indicta, redemerat Augustus, ac manumiserat. Ita [2] Dio. Eodem illa referenda, quo et nostra illa, Velleii: „Viri feminaeque ex censu libertinum coactae dare militem.„ Iidem nimirum illi milites quibus usum Augustum testatur Suetonius [3], ad praesidium coloniarum Illyricum contingentium; iidem, inquam, cum cohortibus Libertinorum, quas in Germania et Illyrico Augustum legisse testatur [4] Macrobius. Atqui in his missis ab Augusto, et ab urbe, copiis noster meruit Velleius. Hinc facile colligimus, non iam Tiberii fuisse, sed Germanici, militem legatumque. Inde factum, ut Tiberium deinde spectarit potius quam adiuverit. Nec enim longe invi-

1. Vell. ibid.
2. Dio L. LV.
3. Suet. Aug. c. 25.
4. Macrob. Sat. L. I. c. 11.

cem diuve aberant Tiberius atque Germanicus. Inde fratrem suum Magium [1] Celerem Tiberii adiutorem legatumque depraedicat in bello Delmatico. De se nihil tale: non procul dubio taciturus, si qua sua in Tiberium, in illo bello, merita fuissent. Et tamen bellum Delmaticum non antea aggressus Tiberius, quam Pannonicum absolvisset. Quo certe tempore Velleio ne quidem quaestura obstare potuit, quo minus Tiberium comitaretur, ni iam mereret in exercitu Germanici. Hinc etiam Germanici [2] in bello Delmatico experimenta virtutis celebrat Velleius: non certe quaesito, ut in aliis, adulandi loco, cum et mortuus iam esset Germanicus, nec memoriae esset Tiberio admodum gratae. Ne iam et illud addam, quod alibi [3] videatur in Germanicum, ni suspecta loci lectio esset, iniquior. Sed vero testimonium illud Tiberii filio adoptitio dedit Velleius, quod testis esset rerum a Germanico gestarum. Docet praeterea Dio, ipso quaesturae suae anno missum esse Germanicum. Nempe pro lege principum, quibus concedi solebat ea legis annariae indulgentia, ut quinquennio citius quaesturas, quam alii, peterent gererentque. Ita quaesturam anno aetatis xx gesserit Germanicus, quam Velleius aetatis anno xxv, privatus nimirum, nec ulla legis indulgentia solutus. Sed vero, ut quaesturae anno expeditionem

1. Vell. L. II. c. 115.
2. Vell. L. II. c. 116.
3. Vell. L. II. c. 125.

Illyricianam fuscepit Germanicus; fic nihil obftabat, quo minus illum fuae quoque quaefturae anno comitatus fuerit fimiliter Velleius. Ambo fatis commode hoc idem fecerint, fi poft comitia, defignatofque fequentis anni quaeftores, profecti fuerint. Potuitque caufa ferae profectionis effe mora illa Tiberii, quae fufpectum illum Augufto fecerat. Sero nimirum ex hibernis moverat Tiberius. Et tamen poftea aliquot dierum iter neceffarium erat, ut de aeftivis Tiberii moneretur Auguftus. Inde morae aliae neceffariae erant, quibus et confilium de Germanico mittendo coeperit Auguftus, et Germanicus ipfe fefe itineri accinxerit. Sic aeftate iam affecta, et peractis fequentis anni comitiis, moverit in Pannoniam Germanicus, comitemque fatis commode habere potuit noftrum e quaeftura Velleium. Nec fane exigunt res huius anni narratae a Dione maturiorem Germanici profectionem. Poftea quam Germanicus in Pannoniam appuliffet, tum demum confluxiffe dicit exercitus. Tum Severum e Moefia venientem adorti funt rebelles victique. Poftquam in unum conveniffent, aliud praeterea nihil a Germanico actum legimus, quam quod Mazaeos, gentem Delmaticam, pugna victam, damnis affecerit.

§. XX.

Legati provinciarum omnes senatorii.

Hoc ergo anno legatus principis videtur fuisse Velleius. Et quidem Senatorum propriae illae videntur fuisse legationes. Legatos certe provinciarum vix alios legimus, quam consulares aut praetorios, excepto Aegypti praefecto, qui equestris esse solebat propter oracula Sibyllina, ne fasces haberet infausto reipublicae omine in Aegyptum, ut credebant, inferendos: exceptis etiam, si quae aliae essent, ad exemplum Aegypti, in aliis quoque provinciis, Aegyptiacae praefecturae, quas tamen nullas, per haec Augusti tempora, ut puto, legimus. Tribunitios legatos aut aedilitios raro admodum, si forte unquam, memorant historici. Et tamen provinciam administravit Otho per decem annos, adhuc tantummodo quaestorius, teste [1] Suetonio. Et plerumque quidem ex praetoriis, nonnunquam tamen ex iis etiam qui quaesturam aliumve intermedium magistratum gessissent, delectos provinciarum legatos testatur [2] Dio. Potuit ergo Velleius hoc tempore legatus fuisse quaestorius. Et quidem non exercitus solius, qui plures erant nonnunquam in eadem provincia, verum etiam provinciae, si praesertim unicae legionis fuisset exercitus, quales saepe erant in minoribus provinciis. Erant quidem pro-

1. Suet. Oth. c. 3. 2. Dio L. LIII. ann. 726.

vinciae Caesaris nonnunquam duplices, ut scilicet alias sub se complexae fuerint provincias. In illis legatus Caesaris alios sub se habuit legatos singularum provinciarum. Sic habuit Plinius iunior Pontum et Bithyniam, quarum provinciarum alteram, in qua ipse non aderat, per legatum administravit. Erant itaque cuiuscumque generis legati, vel propter fasces, iusque gladii, et imperium in exercitus, excepto Aegypti praefecto, aliisque, ad illius exemplum, praefectis Aegyptiacis, ordinis omnes senatorii. eo tamen discrimine, ut provinciis illis maioribus et multiplicibus non alii praefici solerent quam consulares, aut praetorii. Erant enim hi principis ipsius legati, eiusque vicem in provincia sustinebant. Minores illi simplicium provinciarum legionumve singularum legati maiorum potius praefectorum quam principis legati habebantur: ut proinde sufficerent illis legationibus obeundis minorum gentium senatores, etiam tribunitii, aedilitii, atque quaestorii: praecipue vero quaestorii; cum etiam in libera republica, praeter rem pecuniariam, alia quoque consulum praetorumque munia pro tempore absentium obirent eorundem quaestores. Imo variae erant in una eademque provincia praetoria, illis quoque temporibus, provinciae quaestoriae. Duas certe fuisse in praetura Siciliensi docet [1] Asconius. Inde factum, ut iure gladii or-

1. Ascon. in Verrin.

E

narentur etiam ſaepe quaeſtores. Inde etiam, ut praetorum conſulumque vicarii eſſent, etiam in imperio. Inde ut minores hi legatorum ordinariorum legati, vel quaeſtores deinde eſſent, vel quaeſtorii. In his minorum gentium legatis locum habuit Velleius, ſecundo hoc militiae ſuae gradu, non iam amplius equeſtris, ſed ſenatoriae.

§. XXI.

Velleius Auguſti legatus, et tamen obnoxius Tiberio.

Addit porro Velleius, legatum ſe eiuſdem ad eundem hoc anno fuiſſe miſſum. Meminerat autem ſupra duorum. Dixerat enim ſe traditi ab Auguſto exercitus partem ad filium eius perduxiſſe. Inde duobus verba illa modis intelligi poſſunt; vel nimirum ita, ut Auguſti legatus miſſus fuerit ad Tiberium; vel ut Tiberii legatus ad eundem imperatorem ſuum venerit Tiberium. Cur Tiberii legatus intelligatur, ea ratio eſt, quod Tiberii ſeſe militem [1] agnoſcat. Imo continuo illo novennio Tiberii ſe vel praefectum fuiſſe vel legatum innuit; inde ſe ſpectatorem Tiberii vel adiutorem fuiſſe gloriatur. Ita praefecturam illam legationemque Tiberii fuiſſe convenit, quibus nimirum in verba Tiberii ſacramentum militare ſuſceperit, illius numini maieſtatique devotus. Contra tamen facit, quod

1. Vell. L. II. c. 104.

miſſum ſe fateatur ab Auguſto. Sic enim Auguſti fuiſſe legatus intelligitur. Ita πεμπομένων nomine legatos deſignant, non ſacrae [1] modo literae, verum etiam alii coaevi illorum temporum ſcriptores. Id quoque facit, quod Germanico illum, non Tiberio, aſſignarit, uti vidimus, Auguſtus. Sed conciliari ambo illa fortaſſe poſſunt, ſi non ita alterius legatus intelligatur, ut alter penitus excludendus ſit. Principum enim omnium non modo erant in Numis vultus, verum etiam imagines in vexillis. Iiſdem fidem exercituum obſtrictam, ex iiſdem diſcimus tam Numis quam inſcriptionibus: imo principibus etiam deſignatis: praecipue vero in expeditione agentibus: maxime vero exercituum in provinciis bello praecipuo finitimis. Plurium certe provinciarum ius dedit, pro antiquo reipublicae exemplo, poteſtas minorum etiam principum proconſularis: imo omnium, tam armatarum quam inermium, poteſtas illa tribunitia, qua iam certum eſt ornatum fuiſſe Tiberium. Illum ergo pro maiore poteſtate agnoſcere oportuit ipſum Germanicum, ut agnoverat Caius heres Auguſti deſignatus, priorque quam fuerit ipſe Tiberius. Multo magis Velleius ipſi Germanico obnoxius. praeſertim nulla in contrarium Auguſti interceſſione, quam ſane nullam memorat Velleius. Parem undiquaque cum Auguſto Tiberii poteſtatem ante annum Au-

1. 1 Petr. II, 14.

gusti penultimum ne quidem agnoscit ipse Velleius. Ita potuit Velleius simul Augusti legatus, et tamen miles esse Tiberii.

§. XXII.

Legatio Velleii et praefectura quomodo invicem distinguendae sint.

Distinguit rursus Velleius duplicem in sua hac sub Tiberio militia senatoria personam, legati aliam, aliam praefecti. Atque haec officia ita invicem secernere videtur, ut in alio spectator fuerit, in alio adiutor, Tiberii: sic etiam fortasse, ut praefecturae spectandi, legationi adiuvandi munus assignet. Ita praefectus fuerit absentis Tiberii; legatus autem praesentis, cum non spectare illum tantummodo, verum etiam adiuvare posset. Praefici autem solebant ab Imperatore provinciis; praefici castris, quacunque demum in regione, quacunque occasione, stativis; praefici hibernis. nec hibernis duntaxat integris, verum etiam partibus, praefici solebant legati. Id sane in bello hoc Germanico a Maroboduo instaurato factum indicat Velleius: legatos [1] (inquit) inter quos ipsi fuimus, partitis praefecit hibernis „. Itaque, qui in maiori exercitu, cum legioni singulari praeesset, ad nutum Imperatoris moturae, legatus fuisset; is idem praefectus erat, cum seorsim propriam fixamque haberet

1. Vell. L. II. c. 112.

ftationem. Nec tamen, cum praefectus fieret, legati nomen exinde exuebat. fatifque erat ad nomen praefecti, pro fententia Velleii, ut vel hibernis praeficeretur. Longe tamen frequentior illa vocis fignificatio eft, qua provinciarum cuiufcunque modi praefides, feu populi fuiffent, feu principis, feu confulares, feu praetorii, feu armatae fuiffent provinciae, feu inermes, communi tamen praefectorum nomine cenfentur. Hos etiam praepofitos appellat Velleius. Ita praepofitum Illyrico initio huius, in quo verfamur, belli memorat Valerium Meffalinum, et praepofitum Delmatiae [1] in bello Delmatico Vibium Poftumum. Utrobique non civiles, fed militares praepofitos intelligit, qui etiam iidem, propriiffimo vocis ufu, praefecti appellandi erant, quod cuftodiis ftationibufque, non foris folummodo civilibus, praeficerentur. Etiam praefectos caftrorum memorat Velleius [2], qui erant fingularum legionum finguli. Sic Poenium Poftumum praefectum caftrorum fecundae legionis legimus apud Tacitum [3]. Et e tribus Vari legionibus duos caftrorum praefectos nominat Velleius [4] infigni alterum fortitudine, alterum timiditate. Maiores erant tribunis, ut e [5] Suetonii difcimus Vefpafiano; aqui-

1. Vell. *L.* II. c. 116.
2. Vell. *L.* II. cap. 112, 119, 120.
3. Tacit. Ann. XIV, 37.
4. Vell. *L.* II. c. 119.
5. Suet. Vefp. c. I.

lis [1] legionum signis proximi, ante tribunos primosque centurionum. Tribuni illi, ni fallor, et ipsi castrenses erant, equestris duntaxat ordinis, cum fuerint praefecti senatorii. Iidem hibernorum praefecti, quod scilicet castris praeficerentur hibernis. Erant enim hiberna castra stativa. Legimus in Velleio [2] plurium legionum praefectum M. Lepidum: imo provinciarum. Is idem praeerat, qui praeficiebatur a principe. Atqui Syriae praefuisse Varum agnoscit [3] Velleius. Idem eundem Germaniae etiam exercitui [4] praefuisse testatur. plane provinciae Syriae, Germaniaeque exercitui a principe praefectum, Ita provinciam aliquam minorem habuerit forte Velleius, vel, vt videtur, in Illyrico, vel in Germania, bello certe finitimam. Et quidem, si quis ordo fuerit in his muneribus, maturiorem ego legationem fuisse crederem, seriorem praefecturam. Plura fidei peritiaeque experimenta ediderit oportet, cui fuerit absenti credendum, quam cui res esset sub oculis Imperatoris agenda. Sed quia satis est ad mentem Velleii praefectura illa etiam hibernorum; proinde nescio, fueritne praeterea praefectus provinciae. Sed spectatoris nomen melius illi fortasse conveniet, qui etiam, dum res bellicae gererentur, abfuerit, quam illi qui in hibernis esset, dum ne quidem ipse Im-

1. Tacit. H. II. 89.
2. Vell. L. II. c. 114.
3. Vell. L. II. c. 117.
4. Vell. L. II. c. 118.

perator esset in hostico. Redeo iam ad sequentes huius, de quo agimus, belli annos.

§. XXIII.

Annus 761 secundus erat belli Pannon. Lacuna alia in Velleio.

Sequitur ergo annus urbis 761, cuius aestivis omnis Pannonia pacem petiverit, quod huius anni Coss. M. Furio Camillo, Sext. Nonio Quinctiliano, factum docet Dio. Velleius hodiernus ita habet, quasi proximis a decem legionum appulsu, quem anno 759 assignavimus, hoc contigerit. Mox enim illis eo, unde venerant, dimissis, Tiberium ipsum hiemis initio Sisciam rediisse testatur. Haec noster L. II. c. 113. Sequitur deinde digressio in laudem Tiberii, cuius in fine illa legimus: „Hiems emolumentum patrati belli contulit. Sed in sequenti aestate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Delmatia manentibus, pacem petiit„. Haec ille c. 114. quasi nimirum eadem fuisset utrobique hiems, et unico proinde anno Tiberium tenuerit bellum Pannonicum. Sed plurium fuisse annorum testem habemus disertissimum Dionem. Nec certe pugnat, qua sanum eum etiamnum habemus, ipse Velleius. In hoc trienni bello duplex ipse bellum agnoscit, Pannonicum prius, quod proxime Germanicum exceperit, de quo c. 114, tum deinde Delmaticum de

quo c. 115. Et quidem ita invicem distinxit, ut prioris belli non una agnoscat aestiva. Hoc satis clare innuunt verba eius illa: „solus semper equo vectus est; solus cum iis, quos invitaverat, maiore parte aestivarum expeditionum coenavit sedens„. Loquitur enim ibi certe de bello Pannonico, qua diversum erat tam a Germanico quam etiam a Delmatico. Non ergo eadem est, quae videtur eadem, in utroque illo Velleii loco, hiems. Sed deerant in unico illo, unde prodiit Velleius, codice, anni 760, qui belli Pannonici primus erat, acta omnia, quaecunque ille in compendiaria hac historia prodiderat. Deerant praeterea quaecunque scripserat noster de mittendo ab urbe Germanico, sub quo tamen ipsum meruisse probavimus, cuiusque disertissimam facit in sequentibus mentionem. Vix sane est, ut suum, ut ducis sui ab urbe adventum, praetermiserit Velleius. Ego lacunae locum fuisse suspicor ante verba modo prolata: „hiems emolumentum patrati belli contulit„. Ita nimirum, ut anni 760 hiems illa fuerit, qui quidem annus belli Pannonici primus erat, idemque quo ad Tiberium ab Augusto missus est Germanicus. Tantum abest, ut adventum Germanici credam tacuisse Velleium, ut mentionem Agrippae in Augusti indignationem incidentis, Germanici potius quam Tiberii gratia iniectam existimem. Agrippam enim eidem expeditioni destinaverat Augustus, nec alia de causa

missum Germanicum testatur Dio, quam quod Agrippa iam antea Augusti gratia exciderat. Sic viam straverit casus Agrippae antea narratus ad consilium mittendi postea Germanici.

§. XXIV.

Locus Velleii de huius anni hibernis explicatur.

De huius anni 761 hibernis ita Velleius: „ Autumno victor in hiberna reducitur exercitus, cuius omnibus copiis a Caesare M. Lepidus praefectus est, vir nominis ac fortunae Aemiliorum proximus „. Sic enim legit, idque, ut puto, recte, Cl. Heinsius. Sed quomodo cum omnibus copiis Lepidus, si Caesar ad alteram belli Delmatici molem animum interea atque arma contulerit, etiam antea quam illi Lepidus coniungeretur? Haec tamen ipse asserit Velleius. Imo ubinam interea Tiberius ipse atque Germanicus, si copiis omnibus praefuit Lepidus? Num et illi sine copiis? Romam fateor interea venit, Dione teste, Tiberius. Venit etiam (quamquam id silente Dione) Germanicus. Aderat certe Tiberius, cum lex Papia Poppaea rogaretur de maritandis ordinibus, iis Coss. rogata, quorum nomen tulit; quos anni sequentis 762 suffectos fuisse idem agnoscit Dio. Saepe revocatum, non semper, continuo hoc triennio Tiberium dicit

perseverasse [1] Suetonius. Et praemissum (Roma scilicet, ubi erat Tiberius) noster [2] etiam testatur Germanicum: non solum utique, sed cum exercitu, eodem scilicet, cui postea aderat Tiberius. Addit [3] Velleius, initio aestatis, anni nimirum 762, educto hibernis exercitu Lepidum ad Tiberium Imperatorem tetendisse. Hinc etiam intelligimus, alium fuisse Tiberii et Germanici, alium Lepidi, exercitum; nec adeo exercitui universo praefectum Lepidum. [4] Dio illa omnia, quam Velleius ipse, distinctius. Ait illi tres in partes Tiberii copias universas (legionis nimirum xv, quibus bellum hoc ab eo gestum prodit Suetonius) fuisse divisas. Harum unam Silano assignatam, aliam Lepido, cum reliqua Tiberium ipsum cum Germanico sese adversus Batonem contulisse, nempe in Delmatiam. Sic tertiae duntaxat exercitus universi parti praefuerit Lepidus, quae tamen ipsa seorsim iustum confecerit et consularem exercitum, plurium nempe legionum. Ita conciliari poterit cum Dione Velleius, ut copias omnes exercitus Lepidiani legiones omnes intellexerit; idque sibi voluerit Velleius, non iam singulis exercitus illius legionibus, ut anno superiori, hiberna partita fuisse assignata, sub suis singularum legatis; sed ut una fuerint et communia omnibus hiberna sub legatorum omnium duce Le-

1. Suet Tib. c. 16.
2. Vell. L. II. c. 116.
3. Vell. L. II. c. 115.
4. Dio L. LVI.

pido. Cum enim partitis hibernis praeficerentur legati, id fane innuit fuiffe legatos partitorum hibernorum duces fummos, quod fieri non potuit, fi plures fuiffent in iifdem hibernis legiones, et plures adeo legati, fub uno hibernorum praefecto, qui potuerit legatis ipfis imperare.

§. XXV.

Ea hiberna quomodo diftributa fuerint.

Porro tripartitam illam exercitus diftributionem ita fuiffe exiftimo. Aliam Silano creditam teftatur Dio. Atqui Silanus ille idem fuiffe videtur cum confule anni 760, quem A. Licinium Nervam etiam ibi appellant codices hodierni Dioniani. Rectius illum A. Licinium Nervam Silianum P. Silii filium nofter vocat Velleius [1]. quod fcilicet e gente Silia in Liciniam fuiffet adoptatus, a Silio illo, fub quo tirocinium egerat Velleius, oriundus. Illum certe ducem [2] agnofcit ipfe Velleius, qui addit praeterea, „praereptum immature, et fructu ampliffimae principis amicitiae et confummatione evectae in altiffimum paternumque faftigium imaginis defectum„. Hinc colligimus fub finem 762, cum adverfarios fuos domuiffet, fatis conceffiffe: certe ante triumphum Tiberii. Ornamenta enim triumphalia cum Tiberii triumpho decernenda pro confummatione evectae in

1. Vell. L. II. c. 116. 2. Vell. L. II. c. 116.

altissimum paternumque fastigium imaginis habuit, ut puto, Velleius. Cum enim iam consul fuisset, fuerat pater Silius, hoc tamen deerat ad altissimum paternumque fastigium, ut esset triumphalis, et triumphalem haberet in gentis suae atriis imaginem. Illum certe iunxit Seiano Velleius, quem observaverat, in hoc eodem bello, materia adipiscendi triumphalia similiter fuisse defectum. Secunda exercitus pars, quae cum Tiberio erat et Germanico, in Delmatia hiberna habuit, (ubi belli reliquiae profligandae erant) Tiberio et Germanico ex Italia reversuris opportunissima. Tertia ergo exercitus pars, quae cum Lepido erat, hiberna habuit in ipsa superioris belli sede Pannonia. Illam proinde solam memorat Velleius, quod sola fuerit relicta ibi, ubi paulo antea totus fuerat exercitus: proinde etiam, ni fallor, quod ibi egerit ipse Velleius. Mansisse certe in illius anni cum Lepido hibernis, exinde suspicamur, quod, cum ad alteram belli Delmatici molem Tiberius animum atque arma conferret, in ea regione adiutorem legatumque ei fuisse fratrem Velleii, Magium Celerem, Velleius ipse nos doceat. Innuit interea se cum Tiberio non fuisse, cum hoc proprium fratris sui invidendumque decus agnoscit. Atqui in Delmatiam concesserat Tiberius fine anni 761, hiberna Magio cum sua legione ibidem assignaturus. Rediit deinde Romam, post Coss. quidem sequentis anni 762 ordinarios, ut iam ostendimus.

ſic tamen, ut matura nihilominus aeſtiva in Delmatia habuerit, et maturum etiam aeſtivorum finem. Illius enim „aeſtatis initio Lepidus educto hibernis exercitu ad Tiberium (inquit Velleius [1]) imperatorem tendebat„. Itaque iam antea aderat in Delmatia Tiberius. Addit Velleius illum „ magna cum clade hoſtium obſiſtentium, exciſis agris, exuſtis aedificiis, caeſis viris, laetum victoria praedaque onuſtum, ad Caeſarem perveniſſe„. Nec difficilem Lepidi victoriam fuiſſe teſtatur etiam Dio. Inde nullae eius res geſtae memorantur coniuncti cum Tiberio: illa, ut videtur, cauſa, quod bellum Delmaticum iam antea abſolverat Tiberius, quam Lepido coniungeretur. Aeſtate autem illa maximi belli conſummatos effectus docet Velleius. nec ultra aeſtivorum fines receptiſſimos protractam aeſtatem innuit. Sic vere fuerit Velleius, qui cum Lepido venerat, belli huius patrati iam ſpectator potius, quam adiutor. Convenit porro, quod ait Velleius Delmatas, non iam ductu, ſed manibus atque armis ipſius Caeſaris fuiſſe pacatos„. Manus Caeſaris et arma opponit eiuſdem ductui. quod nempe ductui Tiberii illae quoque tribuendae eſſent victoriae, quas Lepidus non ſuis, ſed Caeſaris fuiſſet conſecutus auſpiciis. Ut ergo Tiberii nullae erant in rebus a Lepido geſtis, praeterquam ductus, operae; ſic vice verſa ſignificat Velleius, duci ſuo

1. Vell. L. II. c. 115.

Lepido, et sibi adeo ipsi, nullum fuisse ministerium in bello Delmatico, quod suis manibus atque armis confecerat iam antea ipse Tiberius.

§. XXVI.

Velleius postea Tribunus plebis.

Proximus a Quaestura in senatu honor Velleio vel Aedilitas fuerit oportet, vel Tribunatus plebis. Nec enim antea Praeturam ambire licuit, quam horum magistratuum alterum gessissent, ut alibi [1] ostendimus e Maecenatis oratione Dioniana. Itaque, cum Praetorem se postea designatum doceat ipse Velleius, nec legis aliquam indulgentiam concessam legamus, quae rara admodum erat in privatis: facile inde intelligimus, vel aedilem illum fuisse antea, vel certe tribunum. Unius enim eiusdemque anni erat uterque ille magistratus: sic tamen ut nemo unus utrumque gesserit, sed satis esset eorum vel unus ad ambiendam deinde tempore legitimo praeturam. Itaque alterum a Velleio nostro gestum fuisse, verisimillimum est. Utrum gesserit, id, fateor, incertum est. eo tamen magis propendeo, ut tribunus potius fuerit quam aedilis. Decem enim erant tribuni, cum duo fuerint duntaxat aediles. Nec enim alia quam curulis Aedilitas locum habere potuit in honoribus senatoriis. Ita paucitas aedi-

1. Prael. XII. ad Spart. Adr. §. 1. 2.

lium id fecerit oportet, ut quia rarior, proinde difficilior fuerit aedilitas. Et quidem tribunum se potius quam aedilem fuisse innuit, ni fallor, ipse Velleius. Iam supra observavimus illum, cum partem exercitus ad Tiberium ab urbe perduceret, in eo se non quaestoribus modo senatoriis, sed superioribus in senatu quaestura tribunis aequatum agnovisse. Quod tribunos potius plebis quam aediles hac occasione memoravit, id alio referre non possum, quam quod tribunatum ipse potius gesserit postea, quam aedilitatem. Iura enim alioqui utriusque cum in unum annum conferrentur, eadem omnia fuisse verisimillimum est: ut proinde eosdem tam domi quam militiae honores, tam in castris, quam etiam in comitiis, petere illi licuerit, qui aedilitate functus fuerat, quam etiam illi, qui tribunatu. Sed nemo unus utrumque ille magistratum obiit, ut diximus. Nec opus erat, ut alterius, quam quem ipse tempore legitimo obierit, mentionem faceret Velleius. Nec denique obstabat tribunatus ille, etiam in urbe gestus, quo minus continuum novennium in militia Tiberii exegerit. Magis certe erat affinis tribunatus ille plebis tribunatui, unde ortum habuit, militari, quam aedilitas, cuius civile erat munus, nec ullo modo militare.

tamen integro anno a Tiberio abesse potuit, qui Tiberio per annos continuos IX adfuit, vel spectator eius nimirum vel adiutor, ab anno nimirum, ut probavimus, 757. Faciunt illa, ut nec in annum aliquem anteriorem conferri tribunatus ille potuerit, nec tamen sit ultra illum differendus.

§. XXVIII.

Tribunatum inivit Dec. X. 765 depositurus Decemb. itidem X anni 766.

Cum clades illa legionum Varianarum contingeret, tum bellum, de quo modo egimus, Delmaticum a Tiberio confectum docuit Velleius [1], et post Velleium alii [2], anno nimirum Varroniano 762. Proximo [3] anno 763 denuo in Germaniam irrupisse docet Suetonius. Inde post biennium [4] in urbem rediit, eodem teste Suetonio. Tum demum [5] iam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatisque triumphum egisse noster itidem docuit Velleius. His ergo annis annum integrum Romae noster adesse non potuit, siquidem continuum cum Tiberio egerit novennium. [6] Triumphantem Tiberium Velleius ipse cum fratre suo Magio comitatus est, inter

1. Vell. *L.* II. c. 117.
2. Suet. Tib. c. 16. Dio. *L.* LVI. an. 762.
3. Suet. Tib. c. 18.
4. Suet. Tib. c. 20.
5. Vell. *L.* II. c. 124.
6. Vell. ibid.

F

praecipuos praecipuisque donis adornatos viros. Dona intelligit militaria, coronas, hastas, vexilla, armillas etc. Dare enim haec solebant militibus bene meritis Imperatores. Utque dona illa militibus ornamento erant; sic vice versa triumphum ipsius Imperatoris ornabant donis istiusmodi ornati milites, eo nimirum illustriorem futurum, quo plura apparerent in pompa dona, et donis insigniti milites. Et sane fratrem [1] suum Magium Celerem adiutorem Tiberii in bello Delmatico celebrat, uti vidimus, ipse Velleius, et Tiberii ipsius patrisque Augusti magnifica de illo testimonia: imo honores etiam, quibus triumphans eum Tiberius donaverit, amplissimos. Nec sua quoque tacuit, qua licuit per modestiam, merita, dum et se quoque militem [2] profiteretur Tiberii, legatumque pariter atque adiutorem. Imo militis nomine adiutorisque hoc ipsum, ni fallor, intellexit, quod victoriam eius adiuverit, militumque in triumphi apparatu insignium unus fuerit. Referebantur enim ad invicem, pro illius aevi sermone, militis nomen atque Imperatoris. Ergo Romae aderat in triumpho Tiberii, non Tiberius duntaxat ipse, verum etiam Velleius, anno nimirum Varroniano 765. Cum enim decerneretur triumphus Imperatori, id quoque decerni solebat, ut deportaretur bene meritus in patriam exercitus: tam scilicet ut testes adessent

1. Vell. L. II. c 115. 2. Vell. L. II. c. 104.

rerum gestarum, quam etiam ut triumphum ornarent imperatoris tot militum etiam privatorum decora. Atqui nulli adhuc Velleii, in hoc triumpho, memorantur honores alii quam militares. Et tamen senatoriis etiam honoribus egregia in militia facinora munerari solitos principes, multis ostendere possem, si opus esset, exemplis. Sed nihil attinebant ad triumphi pompam honores militum senatorii, ut proinde essent a Velleio, hoc in loco, memorandi. Nec aderat fortasse comitiorum tempus, quo designandi erant ad futuri anni magistratus a populo, etiam principis (qui appellabantur) candidati; cum triumpharet Tiberius. Sic potuit Velleius inire tribunatum die tribunatus ineundi legitimo [1] Decembr. x anni, quo triumphavit Tiberius, Varroniani 765; depositurus sequentis Decembris die itidem x anni Varroniani 766. Idem si Decembri anni 766 tribunatum iniisset eundem Decembri anni 767 depositurus; nec potuit, nondum elapso tribunatu; ab Augusto ad praeturam designari, nec praeturam ipsam anno 768 gerere; proximo nimirum anno ab elapso tribunatu. Convenit praeterea militia Velleii sub Tiberio novennis. Coepit enim annus 9 hoc ipso anno 765 post Iun. XXVII natalem adoptionis Tiberii ab Augusto; et tamen ante comitia mense Augusto, aut paulo

1. Vid. Prael. XII. ad Spart. Adr. §. 7.

forte serius, habenda. Nec aberat etiam anno 766 Roma Tiberius. Potuitque adeo Velleius magistratum illum tum quoque tenere, idque Romae, et per annum illum fere universum, nec interim a Tiberii satellitio discedere. Nulla enim erant hoc anno molesta bella, quae obstarent, quo minus Romae versaretur etiam ipse Tiberius.

§. XXIX.

Librum, quem habemus, cur anno 783 scripserit Velleius.

A praetura, quam tenuit anno, pro rationibus nostris, 768, alium Velleii honorem nullum legimus, ne quidem provinciam praetoriam, nedum consulatum; sed ne quidem aliud vitae negotium. Studiis ille, an deliciis Tiberii vitiisque Capreensibus annos secutos impenderit, hodie non constat: fieri potest, ut utriusque. Erat Neroni socius in deliciis Petronius, scriptor etiam ipse elegantissimus. Non certe Velleio displicuit simile Sentii Saturnini ingenium, quem ait, ,, ubi [1] negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abusum; ita tamen ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceres ,,. Nec ullum memorat scriptum suum antea editum, in otio illo elucubratum. Ingenii sui has primitias, in gratiam

1. Vell. L. II. c. 105.

Vinicii consulis emisit ipso eius consulatu, annoque adeo Varroniano 783. Mos enim erat illis temporibus, praecipua quaeque amicorum patronorumque gaudia muneribus offerendis gratulari. Quae autem alii donis, ea scriptis celebrabant poëtae atque oratores. Hinc illa de genethliacis epithalamiisque Dionysii Halicarnassaei aliorumque Sophistarum praecepta. Hinc et scripta utroque sermonis genere, tam metrici quam etiam soluti. Praecipue vero mos ille receptus est in celebrandis consulatibus. Consulatum suum Cicero tam Graece quam Latine, tam carmine quam oratione etiam prosaica, curavit posteris commendandum. Idque enixissimis precibus urget contenditque epistolis ad Lucceium, celeberrimum sui temporis Historicum. Sic consulatus Domitiani celebrant Statius atque Martialis: sic etiam Honorii Claudianus: sic etiam Stilichonis privati hominis idem Claudianus. Illud etiam artificium receptum, quo insigniores facerent amicorum patronorumque consulatus, si pro epochis illos historicis haberent, seu nimirum historias suas ab illo arcesserent, seu ad illum usque deducerent. Divorum fratrum, Marci nimirum Antonini, atque Lucii consulatum multis historicis exordium historiarum fuisse observavit auctor vitae, quam vulgo Capitolino tribuunt, nos Spartiano asseruimus. Frequentiora tamen exempla sunt eorum, qui historiarum fines in illis ponerent consulatibus, quo-

rum memoriam apud posteros celebrem esse vellent. Sic historiam suam ad XVII Theodosii consulatum deducit Sozomenus. Sic Stilichonis consulatu suam claudit historiam Sulpicius Severus. Sic Constantii et Iuliani consulatu suam Aurelius Victor, editus a Schotto. Sic Dio suam consulatu suo, quem cum Alexandro gessit Imperatore. Sic alii multi plane pro exemplo Velleii nostri Vinicii sui consulatu historiam suam terminantis. Hinc et [1] modus ille scripturae a Velleio sibi praescriptus, brevis nimirum et summarius. Hinc [2] notitia illa in artum contracta in utraque huius operis parte observata. Hinc [3] formam illam operis propositi agnoscit in praecipiti sitam festinatione, quae se rotae pronive gurgitis ac verticis modo nusquam pateretur consistere, paene magis necessaria praetereundo quam supervacua amplectendo. Alibi opus illud suum non iustum, [4] sed recisum fuisse testatur. Alibi se memoria professionis, [5] ne in infinitum evagaretur, reprimit. Alibi [6] promissae brevitatis fidem agnoscit, et transcursum hunc, qui nempe iusto operi opponebatur, appellat. Iustam nimirum ille rerum earundem historiam saepe pollicetur: sua

1. Vell. L. II. c. 52.
2. Vell. L. I. c. 14.
3. Vell. L. I. c. 16. L. II. cap. 96.
4. Vell. L. II. c. 89.
5 Vell. L. II. c. 89. 96.
6. Vell. L. II. c. 55. 99.

nimirum iusta [1] volumina: iustum [2] opus. Haec tamen ille per otium. Iam properandum erat, ne antea consulatus exiret, quo historia erat ipsa terminanda. Et quidem servant breviariorum plerumque formam historiae, decorandis consulatibus conscriptae. Tale illud erat Sulpicii Severi, tale Q. Iulii Hilarionis, tale Aurelii Victoris Schottiani. Ita coeperit hanc historiam Velleius post medium anni 782, quo designatus est ad sequentis anni consulatum Vinicius: et finem imposuerit, antequam fasces deponerent anni 683 consules ordinarii. Aliter sera fuisset consulatus iam ad exitum producti gratulatio. Id ne contingeret, placuit Velleio ratio illa scribendi properata atque compendiaria.

§. XXX.

Mors Velleii anno 784.

Sic annum Velleii natalem dedimus. Nescio an emortualem etiam designare possimus. Conabimur tamen. Fateor, esse hoc sine testibus difficillimum. Id quoque fateor, deesse nobis, qui in re historica essent audiendi, testes. Mortem suam consignare ipse non potuit. Nec suppetunt alii post illum, qui consignarint. Veterum nemo est, excepto Prisciano, qui vel mentionem Velleii nostri

1. Vell. *L.* II. cap. 48. 2. Vell. *L.* II. c. 99. 103. 114. 115.

fuerit. Sed nec ille quicquam prodidit, quo historia eius locupletanda sit. Nihil ergo restat, unde mortis tempus elicere possimus, praeter ratiocinia. Et tamen valde mihi verisimile videri fateor, inter illos, quibus Seiani amicitia nocuit, nostrum quoque periisse Velleium. Satis ipse testatum fecit in hoc ipso libro Velleius, quo fuerit animo in Seianum. Nec opus erat ad eum convincendum alio testimonio, cum palam extaret, scriptisque consignatum esset, amicitiae illius, tam recenti memoria monumentum. Id quoque certum est, manifestissimisque tam Dionis quam Taciti testimoniis exploratum, satis fuisse ad poenam ipsam illam Seiani amicitiam. Eodem spectabat, suspectumque Velleium merito fortasse faciebat, quod non oblatis, sed quaesitis, uteretur Seiani laudandi occasionibus, etiam nullo suppetente laudis argumento. Ait Seianum [1] in Germania, Illyricoque, et mox in Africa, non quidem merito, sed materia tamen adipiscendi triumphalia fuisse defectum. Ubi deerat laudandorum facinorum vel materia, quae, quaeso, esse potuit laudis solida ratio? Quis hoc in loco non agnoscat indolem laudandi Seiani avidam, et quibusvis laudis arripiendis vel praetextibus intentam? Nec illud modo. Scripsit nostra illa Velleius tempore etiam suspecto. Certe post mortem Liviae, cuius ipse meminit, quam anni superioris

1. Vell. L. II. c. 116.

782 initio affignat [1] Tacitus. Inde enim, ut ex utroque conftat, tam Tacito quam Dione, confilia inivit de imperio occupando Seianus. Tandem expergefactus Tiberius machinatur et ipfe de eo opprimendo. Primo tamen confulem fecum in annum, quo periit, fequentem deftinat, curarumque fuarum participem nominat. Ita Dio. Fecerat autem haec antea Tiberius, quam fcriberet Velleius. Hinc ille Tiberium defendit [2] „exemplis eminentium virorum, qui magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam fuam fuiffent ufi, Scipionum praecipue (Africanorum fcilicet) qui duos Laelios per omnia fibi aequaverant„. Plane hic apparet, quod poft epiftolam illam Tiberii obfervavit Dio, omnes deinde Tiberio Seianum, non iam in confulatu tantummodo, fed in fumma rerum adminiftranda pro collega habuiffe. Addit Velleius exemplum Augufti, qui primo M. Agrippam, tum deinde Statilium Taurum fimiliter adfciverit. „Quibus (inquit) familia haud obftitit, quo minus ad multiplices confulatus triumphofque, et complura eniterentur facerdotia„. Hinc fane conftat iam etiam novitatem Seiano, a libere fentientibus, cum fcriberet Velleius, obiectam. Quae certe obiici antea vix potuit, quam progreffus magnos feciffet, et in coniuratione Seianus, et in eo viciffim reprimendo

1. Tacit. Ann. V. 1. 2. Vell. L. II. c. 127.

Tiberius. Adhuc tamen illum [1] iuvandis principis oneribus prolatum afferit Velleius. Imo fingularem ([2] inquit) principalium onerum adiutorem in omnia habuit atque habet,,. Cum ait, ,,habuit atque habet,, non certe nuper illum pro Tiberii adiutore habitum apparet. Itaque poſt conatus Tiberii contrarios, favebat tamen aliquantiſper Seiano Velleius, et pro more ſuo et ingenio, adulabatur. Quis itaque miretur, ſi hoc aegre tulerit Tiberius? ſi ſaeviendi anſam inde acceperit princeps, ultra modum ſuſpicax, et natura ſua ſaeviſſimus? Certe noſtrum inde Velleium nullae deinceps memorant hiſtoriae; cum tamen fuerit, quo ampliores obiiſſet honores, quo magis etiam per ſcripta inclaruiſſet, eo potiori iure memorandus. Sed nec ullum ſupereſt ſcripti illius accuratioris, quod illum toties promiſiſſe vidimus, veſtigium. Niſi forte genuinum exiſtimemus fragmentum illud Lazii, quod eruditis ſuſpectum. Illud vero mirum, cur Livium, de bello Germanico continuaret Aufidius Baſſus, ſi medius fuiſſet belli Germanici poſt Livium Velleius, ſcriptor αὐτόπτης atque elegantiſſimus. Eſt autem haec hiſtoria Seiani tam in Tacito, quam etiam in Dione mutilatiſſima. Proinde mirandum non eſt, ſi nullus ibi compareat Velleius, cum et alia quoque utrobique nomina perierint eo-

1. Vell. L. II. c. 128. 2. Vell. L. II. c. 127.

rum, qui tamen cum Seiano ceciderint. Sic vivere desierit Velleius anno urbis Varroniano 784 Christi, pro aera recepta 31, aetatis suae vel 49 ad finem exeunte, vel 50 fortasse coepto: certe post Seianum ipsum, qui tamen periit, postquam consulatum suum ordinarium exuisset. Docet enim Dio poenitentia correptum fuisse Seianum, quod non in consulatu suo aliquid conatus esset. Et Trionem certe atque Regulum Coss. habent, cum caedes fierent, uterque, tam Dio, quam etiam Tacitus. qui tamen consules suffecti proximi fuisse videntur post ordinarios.

VITAE VELLEIANAE
RERVMQVE AD ILLAM SPECTANTIVM
SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Aer.Urb Varron. 581 Decii Magii insignis in Romanos fides, cum Capua proderetur Hannibali. Is Minatii Magii avus erat, Velleii, ex paterna, ut videtur, stirpe, tritavus. §. 7. Capuanus. ib. Hinc patria Velleii, pro stirpe Magia, Capua.

671 Minatius Magius Asculanensis, Decii Magii nepos, Velleii atavus, (viritim) civitate Romana donatus, et duo eius filii Praetores creati, cum praetores seni duntaxat crearentur. §. 7. Sic Patria Velleii Asculum.

711 Capito Velleii patruus, vir ordinis senatorii, Agrippae subscripsit in C. Cassium, §. 7. Certe post legem Pediam, qua damnatus est Cassius, a Pedio Consule Augusti collega, mense Sextili latam.

714 Avus Velleii C. Velleius Neapoli se gladio transfigit, cum patrem Tiberii Imperatoris, Tiberium Claudium Neronem fugientem, comitari non posset, gravis iam aetate et corpore. post bellum Perusinum, et tamen ante ludos Apollinares. §. 7. Hinc patria Velleii, pro stirpe Velleia Neapolis.

735 Velleii I. Natus *Velleius*. §. 8. medio certe tempore inter ann. Urb. Varron. 725, quo

coepit historiam Livius, et ann. 745, quo Aer.Urb. ultimam ei manum imposuit. certe ante Varron. Sept. 22, quo mortuus est Virgilius.

Togam induit Velleius virilem. Inde 749 tirocinium eius in militia Equestri, cuius Vell. decem numeranda stipendia. §. 5, 6. Pri- 14-15 mus huius militiae gradus hoc anno a Velleio susceptus erat Praefectura cohortis.

Ad secundum Equestris militiae gradum, 752 post pubertatem plenam, ascendit Vellé- Vell. ius, Tribunatum scilicet. sub patruo Vi- 17-18 nicii, ad quem scribit, Consulis, M. Vinicio. §. 10. Sumsit cum Tribunatu, etiam laticlavium. §. 11. Tribunatus ille prior beneficiarius erat. §. 15.

Adest Velleius, cum Caius Caesar cum 753 Rege Parthorum in Euphratis ripa congre- Vell. deretur. sub P. Silio stipendiorum suo- 18-19 rum initiis. §. 6, 9, 10.

Incipit bellum Germanicum sub avo Vi- 754 nicii (Praefecti, ut videtur, hoc tempore Vell. Germaniae) triennio ante expeditionem 19-20 Tiberii, cui Velleius interfuit, Germani- aer. Chr. cam. Vell. L. II. c. 104. Ad tertium mi- 1 litiae Equestris gradum evectus Velleius, Tribunatum scilicet castrorum §. 13.

Tiberius ab Augusto adoptatus Iun. 757 XXVII. Mox illum secutus in Germaniam Vell. Velleius continuo novennio illi aderat. §. 22-23 14, 15. Praefectus Germaniae Sentius Saturninus, legatus Augusti. Vell. L. II. c.

Aer.Urb. 105. Bis enim ab eo cum Tiberio Germani
. Varron. pacem petere coacti sunt. Dio L. LV. huius nimirum anni aestivis et sequentis: Quartus inde incipit Velleio militiae gradus (qui idem tertius est, si tribunatum duplicem pro gradu unico habeamus) alae nimirum Equestris Praefectura. §. 15.

758 Acta huius anni. §. 2. Adhuc Praefe-
Vell.; ctus Germaniae Saturninus; coactique ab
23-24 eo Germani ad pacem secundam.

759 Desunt in Velleio Acta huius anni om-
Vell. nia. Adhuc Praefectus Germaniae Satur-
24-25 ninus. Tertius hic annus Belli Germanici; quo seorsim actum cum Maroboduo. Deficiunt Delmatae et Pannonii, sub Praefecto Illyrici, Valerio Messallino. Legionem ea occasione nuper conscriptam ad Tiberium ducit Velleius, iam Quaestor designatus. Agrippa Postumus abdicatus. §. 1, 3, 4. Legatus Velleius praefectus huius anni hibernis. §. 16. 16. Primus ann. belli Marcommanici, non Delmatici. §. 17.

760 Tiberio de mora suspecto mittitur so-
Vell. cius belli; cum eo gerendi, Germanicus.
25-26 §. 4. Primus annus triennii, quo Illyricum debellavit Tiberius. §. 19. Velleius anni initio Romae ad Quaesturam ineundam; fine erat in Pannonia cum Tiberio, remisso nempe anno Quaesturae Provincialis: post tempus nimirum sortitionis. §. 18. Ex Quaestura eam Expeditionem suscepit Germanicus, sub quo meruit Velleius, Tiberii non iam adiutor, sed spectator tantummodo. §. 19. Cum Tiberio frater Vellei

Magius Celer. ib. Desunt in Velleio anni huius Acta pleraque. huius anni hiems illa erat, cuius meminit Velleius L. II. c. 114: ab ea hieme alia, cuius meminerat Velleius L. II. c. 113. §. 23. Aer.Urb. Varron.

Annus belli Pannonici secundus, quo bellum illud confecit Tiberius. §. 23. Huius anni hibernis praefectus M. Lepidus. §. 24. 25. 761 Vell. 26-27

Annus belli Illyriciani tertius, quo post Pannonicum, Delmaticum bellum aggressus est, absolvitque Tiberius. §. 25. et quidem maturis, nec admodum affectis aestivis. §. 26. Hoc eodem anno caesae sunt Vari legiones. §. 28. 762 Vell. 27-28

Proximo anno a clade Vari novam rursus impressionem in Germaniam fecit Tiberius. §. 28. 763 Vell. 28-29

Secundus annus biennii Suetoniani. Secunda nimirum novi huius belli Germanici aestiva militaria: nempe ad autumnum, teste Dione. Postea Romam rediisse testatur Dio tam Tiberium quam Germanicum: ita nimirum tempestive, ut sequentis anni Consulatum, quem gessit toto (inquit Dio) anno, Romae inierit Germanicus. §. 28. 764 Vell. 29-30

Triumphat Tiberius, sequunturque illum donis militaribus insigniti tam Velleius, quam frater Velleii, Magius Celer §. 28. Exit hoc anno continuum illud, quod in Tiberii satellitio egit Velleius, novennium. §. 1. 28. Tantummodo coeptum huius anni Decemb. X Tribunatum Plebis inivit 765 Vell. 30-31

Aer.Urb. Varron. Velleius. §. 28. Huius victoriae nomine, Tiberius IMP. VII. quem titulum cum T. P. XIII. committunt Numi. Ea autem Tribunitia potestas Iunii ad minimum die XXVII coepit anni 764 desiitque eodem eiusdem mensis die anni 765. Tunc ergo bellum absolverat, unde titulum illum Imperatorium reportavit. sed Tribunitia illa Potestate ad exitum vergente. Unicum enim refert Cl. Mediobarbus numum, qui Tribunitiam illam potestatem, cum titulo illo Imperatorio commiserit. Quadrigas autem triumphales, quae huc referri possint, in unico observavit idem vir Cl. numo Arschotano, in quo cum praedicto titulo Imperatorio VII et Tribunitia Potestate XIII committuntur. Inde discimus affectam illam fuisse Tribunitiam Potestatem, cum triumpharet Tiberius. Sic ante Iun. XXVII. IMP. VII. acclamatus fuerit ab exercitu Tiberius. sic tamen ut Romam vix redierit triumpharitque, nisi anno illo, quem dixi, 765 exeunte. Vix sane est, quin eodem referamus titulum Augusti Imperatorium XX, qui tamen cum Potestate Tribunitia eius XXXIV committitur, quae etiam ipsa anno 765 desierit. Addi illa possunt illis, quae supra diximus, ad designandum novennis Velleii sub Tiberio militiae finem.

766 Vell. 31-32 Hoc anno Tribunatum plebis gessit Velleius usque ad X. Dec. §. 26. 27. 28.

767 Vell. 32-33 Velleius Praetor designatur, cum fratre Magio Celere, ab Augusto commen-

datus, et Tiberio. Vell. L. II. c. 114. Nondum ſcilicet Comitia Praetoria, cum mereretur Auguſtus, Auguſt. XIX. Imo tum primum Comitia tribuum nulla, iure eorum ad patres translato. Tacit. Ann. I, 15. imperante ſcilicet Tiberio. Aer. Urb. Varron.

Velleius cum fratre Praetores, tam Augusti, quam etiam Tiberii Candidati. §. 29. 768 Vell. 33-34

Scribit Velleius ſuam hanc hiſtoriam compendiariam in gratiam Conſulatus Vinicii. §. 29. 783 Vell. 48-49

Caeſus Velleius, ut videtur, propter amicitiam Seiani, poſt coss. ordinarios. §. 30. 784 Vell. 49-50

VELLEII PATERCULI MAIORES

Decius Magius, Princeps Campanus Vell II, 16 Capua ad Annibalem deficiente fidus Romanis, Liv. XXIII, 7, 9, 10. Cic. in Pis. II. an. V. C. 536 (538 Varron.)

Filius iuvenis; cum patre laudatur Liv. l. c.

Minatius Magius, nepos D. Magii, atavus (maternus videtur) Velleii hist. II, 16; ob fidem bello Ital. praestitam civitate Rom. donatur 662 (664).

Duo *Filii* praetores creantur 662 (664).

*

Cn. (*al.* C.) *Magius*, praef. fabrum Pomp. a Caesare de pace missus ad Pomp. teste Caes. de B. C. I, 24, 26.

*

C. *Velleius*, senator, et trib. pl. 663 philos. Epic. patronus ap. Cic. de N. D. L. I, cf. de Orat. III, 23.

*

C. *Velleius*, avus historici a Pompeio lectus inter iudices, praef. fabrum M. Bruti ac Tib. Neronis, aetate et corpore gravis se ipse interficit 712 (714) II, 76.

. . . . *Velleius* incertum isne, an filius sit *P. Velleius*, quem Tac. Ann. III, 39 ad an. 774 ait exercitum praesedisse Macedoniae proximum.

Cic. Phil. III, 19 laudat aliquem M *Vehilium* l. *Velleium*.

. . . . . *Capito* ord. senat. subscribit accusationi in Cassium II, 69. diversus ab *Ateio Capitone* Icto principum adulatore ap. Tac. III. Ann. 70, 75. an forsan *Fonteius Capito* homo factus ad unguem Hor. Serm. I, 5, 32.

Velleius Paterc. de avo Dodwellus scripsit historiam 781 (Varr. 783).

Magius Celer Velleianus legatus Tiberii, a quo an. 768 cum fratre praetor destinatur.

VELLEII PATERCVLI

HISTORIAE
ROMANAE

AD

M. VINICIUM Cos.

LIBRI DUO

[1] VELLEII PATERCULI HISTORIAE ROMANAE

AD M. VINICIUM COS.

LIBER I.

*** [2] tempestate distractus a duce suo Nestore, Metapontum condidit. Teucer, non receptus a patre Telamone, ob segnitiam non vindicatae fratris iniuriae, Cyprum adpulsus, cognominem patriae suae Salamina constituit. Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupavit. Phidippus Ephyram in Thesprotia. At rex regum Agamemnon, tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi urbes statuit, duas a patriae nomine, unam a victoriae memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamum. idem mox scelere patruelis fratris Aegisthi, hereditarium exercentis in eum odium, et facinore uxoris oppressus occiditur. regni potitur Aegisthus per annos VII. hunc Orestes, matremque, socia consi-

1. *Vulg.* C. Velleii; *quod est ab Aldo Man. sine auctoritate certa. Alii ex Tac. III, Ann. c.* 39 *malunt* P. Velleius; *sed is Vossio videtur fuisse pater nostri historici. Tuentur id Acid. et Schegk. auctoritate Velleii* MS. *Bureriani. Sed Burerius de lectt. Varr. nil adnotavit. Itaque tandem Vossius ex Codd. Prisciani L. VI, p.* 706 *probat, nomen fuisse:* M. Velleius Paterculus.

2. *Deest in* MS. *unico caput histor.*

liorum omnium sorore Electra, virilis animi femina, obtruncat. factum eius a diis comprobatum spatio vitae et felicitate imperii apparuit: quippe vixit annis XC, regnavit LXX. qui se etiam a Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. nam quod pactae eius, Menelai atque Helenae filiae, Hermiones, nuptias occupaverat, Delphis eum interfecit. Per haec tempora Lydus et Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet. sors Tyrrhenum contigit. pervectus in Italiam, et loco et incolis et mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit. Post Orestis interitum, filii eius
2 Penthilus et Tisamenus regnavere triennio. Tum, fere anno octogesimo post Troiam captam centesimo et vicesimo quam Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, quae omni hoc tempore pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. duces recuperandi imperii fuere, Temenus, Cresphontes, Aristodemus; quorum [1] abavus fuerat. Eodem fere tempore Athenae sub regibus esse desierunt: [2] quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non praetereundus. quippe, cum Lacedaemonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros su-

1. *Al.* atavus.

2. *Burm. mavult* [quorum, *quod minus recte*] *a* ultimus *iungi observatum est.*

periores: deposita veste regia, pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium de industria [1] rixam ciens, imprudenter interemptus est. Codrum cum morte aeterna gloria, Athenienses secuta victoria est. quis eum non miretur, qui his artibus mortem quaesierit, quibus ab ignavis vita quaeri solet? Huius filius Medon primus Archon Athenis fuit. ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidae, sed ii, insequentesque Archontes usque ad Charopem, dum viverent, eum honorem usurpabant [2]. Peloponnesii, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque urbem, condidere. Ea tempestate et Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniae tractu, in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam Oceano, perexiguo a continenti divisam freto, Gades condidit. ab iisdem post paucos annos in Africa Utica condita est. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, iactatique cum variis casibus, tum saevitia maris, quintodecimo anno sedem cepere
circa Lesbum insulam. Tum Graecia maximis con- 5
cussa est motibus: Achaei ex Laconica pulsi, eas occupavere sedes, quas nunc obtinent: Pelasgi Athe-

1. *Vulg.* imprudenter *h. l. ingestum habet, contra sensum omnem. Nos omni superstitione, qua Critici saepe laborant, deposita cum Acidalio illud cum verbo* interemptus est, *coniungimus.*

2. *Continuantur haec infra* c. 8.

nas commigravere: acerque belli iuvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna civium manu, eam regionem armis occupavit, quae nunc ab eius nomine Thessalia appellatur, ante Myrmidonum vocitata civitas. Quo nomine mirari convenit eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione, ut Thessalia, commemorant. quod cum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt: quibus minime id concedendum est. nihil enim ex persona poëtae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. quod si quis a Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur nunquam ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis usurpaverit. Paulo ante Aletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quae antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est, quod miremur ab Homero nominari *Corinthum.* nam ex persona poëtae et hanc urbem et quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur aetate eius, multo
4 post Ilium captum conditae. Athenienses in Euboea Chalcida et Erethriam colonis occupavere; Lacedaemonii in Asia Magnesiam. Nec multo post Chalcidenses, orti, ut praediximus, Atticis Hippocle et Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. huius classis cursum esse directum alii *columbae antecedentis volatu* ferunt, alii, *nocturno*

aeris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars
horum civium magno post intervallo Neapolim con-
didit. utriusque urbis eximia semper in Romanos
fides facit eas nobilitate atque amoenitate sua dig-
nissimas. sed aliis diligentior ritus patrii mansit
custodia: Cumanos Osca mutavit vicinia. vires
autem veteres earum urbium hodieque magnitudo
ostentat moenium. Subsequenti tempore magna vis
Graecae iuventutis, abundantia virium sedes quae-
ritans, in Asiam se effudit. nam et Iones, duce
Ione profecti Athenis, nobilissimam partem regio-
nis maritimae occupavere, quae hodieque appel-
latur Ionia; urbesque constituere, Ephesum, Mi-
letum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myun-
tem, Erythram, Clazomenas, Phocaeam; multas-
que in Aegaeo atque Icario occupavere insulas, Sa-
mum, Chium, Andrum, Tenum, Parum, Delum
aliasque ignobiles. et mox Aeolii, eadem profecti
Graecia, longissimisque acti erroribus non minus
inlustres obtinuerunt locos; clarasque urbes condi-
derunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam,
Mitylenemque, et alias urbes, quae sunt in Lesbo
insula. Clarissimum deinde Homeri inluxit inge- 5
nium, sine exemplo maximum, qui magnitudine
operis et fulgore carminum solus appellari *Poëta*
meruit. in quo hoc maximum est, quod neque
ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum,
qui eum imitari posset, inventus est. neque quem-

quam alium, cuius operis primus auctor fuerit,
in eo perfectissimum, praeter Homerum et Archilochum, reperiemus. Hic longius a temporibus
belli, quod composuit, Troici, quam quidam rentur, absuit. nam ferme ante annos DCCCCL floruit, intra mille natus est. quo nomine non est
mirandum, quod saepe illud usurpat, οιοι νυν βροτοι
εισι. hoc enim ut hominum, ita saeculorum notatur differentia. quem si quis caecum genitum putat,
6 omnibus sensibus orbus est [1]. Insequenti tempore
imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant
annis MLXX, translatum est ad Medos, abhinc anno
ferme DCCLXX. quippe Sardanapalum eorum regem, mollitiis fluentem, et nimirum felicem malo
suo, tertio et tricesimo loco ab Nino et Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut
semper successor regni paterni foret filius, Pharnaces Medus imperio vitaque privavit. Ea aetate clarissimus Graii nominis Lycurgus Lacedaemonius,
vir generis regii, fuit severissimarum iustissimarumque legum auctor, et disciplinae convenientissimae
[2] inventor; cuius quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissime floruit. Hoc tractu temporum, ante annos quinque et sexaginta, quam urbs Romana con-

1. *Cf. Frid. Chr. Exteri, socii nostri, comm. scitam patrio sermone scriptam, lectuque dignissimam* de paupertate Homeri *Bip.* 1777.

2. *Vulg.* Vir; *quod ex compendio ortum videtur ex* inventor *l.* magister.

deretur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur. Circa quod tempus Caranus, vir generis regii, sextus decimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniae occupavit. a quo magnus Alexander cum fuerit septimus decimus, iure, materni generis Achille auctore, paterni Hercule, gloriatus est. * Inter hoc 7
tempus et initium Nini regis Assyriorum, qui princeps rerum potitus, intersunt anni MDCCCCXCV. Huius temporibus aequalis Hesiodus fuit, circa CXX annos distinctus ab Homeri aetate, vir perelegantis ingenii, et mollissima dulcedine carminum memorabilis, otii quietisque cupidissimus; ut tempore tanto viro, ita operis auctoritate proximus. qui vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret: patriamque et parentes testatus est; sed patriam, quia multatus ab ea erat, contumeliosissime. Dum

* *Posthaec leguntur in Cod.* MS. *ista* „ Aemilius Sura de annis populi Romani: *Assyrii, principes omnium gentium, rerum potiti sunt: deinde Medi: postea Persae: deinde Macedones. exinde duobus regibus Philippo et Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam, devictis, summa imperii ad populum Romanum pervenit*„. *Grunerus haec e textu bene reiecit, quod ea prorsus aliena et e glossemate margini adscripto in textum ingesta omnibus videantur; cf. Christii Noct. Acad. Obs. II, p.* 41 *sq.* Aemilium vero Suram nemo eruditorum novit. Plin. in hist. nat. laudat Manilium Suram.

in externis moror, incidi in rem domesticam, maximique erroris et multum discrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam, huius temporis tractu, aiunt, a Tuscis Capuam, Nolamque conditam, ante annos fere DCCCXXX: quibus equidem adsenserim. sed M. Cato quantum differt! qui dicat, Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam: stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter CCLX. quod si ita est, cum sint a Capua capta anni CCXL; ut condita est, anni sunt fere D. ego (pace diligentiae Catonis dixerim) vix crediderim, tam mature tantam urbem crevisse,
8 floruisse, concidisse, resurrexisse. Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, et ad excitandam corporis animique virtutem efficacissimum, [1] Olympiorum initium, habuit auctorem Iphitum Elium. is eos ludos mercatumque instituit ante annos, quam tu, M. Vinici, consulatum inires, DCCCIV. hoc sacrum eodem loco instituisse fer-

1. *Laborant in sqq. interpretes. Lips. corrigebat haud feliciter* certamen -- Olympiorum initum habuit auct. *idque rec. Boecl. Thys. cet. Sed* initum *sic otiosum videtur. Gruner. aliter interpungendo medetur.* - Olympiorum initium habuit, auctorem Iph. *Sed quorsum diceret Vell.* initium *habuisse, cuius* auctorem *ponit? Nobis videntur verba* Olymp. init. *interposita ad Olympiadum initium significandum. Forsan legendum:* Olympiadum.

tur abhinc annos ferme MCCL Atreus, cum Pelopi patri funebres ludos faceret. quo quidem in ludicro, [1] omnisque generis certaminum Hercules victor exstitit. [2] Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmaeon. coeperuntque in denos annos creari; quae consuetudo in annos LXX mansit: ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica. Ex iis, qui denis annis praefuerunt, primus fuit Charops; ultimus [3] Eryxias: ex annuis, primus Creon. Sexta Olympiade, post duos et viginti annos, quam prima constituta fuerat; Romulus Martis filius, ultus iniurias avi, Romam urbem [4] Parilibus in Palatio condidit. a quo tempore ad vos Coss. anni sunt DCCLXXXII. id actum post Troiam captam annis CDXXXVII. id gessit Romulus, adiutus legionibus [5] Latini avi sui. (libenter enim his, qui ita prodiderunt, accesserim: cum aliter firmare urbem

1. *Al.* omnis.

2. *Cf. supra* c. 2. p. 103.

3. *Al.* Eryx.

4. Palilia *etiam antique dicta fuisse a* Pale, *dea pastorum, cui fiebant feriae, docet Varro de L. L.* V, 3. *Sed mutato elemento* parilia *dici volunt a pariendo; quasi Dea* Pares *vocetur: alii malunt a partu Iliae.*

5. *Lips. corrigebat* latinis avi sui. *Avus enim erat Numitor. An credas; id cognomen fuisse Albanis regibus a Latino rege, cuius filia regnum Latini attulit Aeneae, satori regum Albanorum? Et Dionysius Antt. Rom. scriptor natum Romulum ex Electra Latini filia, dicit.*

novam, tam vicinis Veientibus, aliiſque Etruſcis ac Sabinis, cum imbelli et paſtorali manu vix potuerit. quamquam [1] eam, aſylo facto inter duos lucos, auxit.) Hic centum homines electos, appellatoſque Patres, inſtar habuit conſilii publici. hanc originem nomen Patriciorum habet. Raptus virginum Sabinarum * * *

Deſiderantur ferme ſexcentorum annorum res.

9 *** [2] quam timuerat hoſtis, expetit. nam biennio adeo varia fortuna cum Coss. conflixerat, ut plerumque ſuperior fuerit, magnamque partem Graeciae in ſocietatem ſuam perduceret. Quin Rhodii quoque, fideliſſimi antea Romanis, tum dubia fide, ſpeculati fortunam, proniores regis partibus fuiſſe viſi ſunt. et rex Eumenes in eo bello [3] medius

1. *Vulg.* iam. *Sed Heinſ. bene correxit* eam *int.* manum; *quo et Acid. refert verbum* auxit. *Burm. et Grun. praeter rem repugnant*, *cf. Liv.* 1, 8.

2. *Lipſ. ſupplet et corrigit:* Perſes populo Romano gravior, quam timuerat, hoſtis exſtitit.

3. *Haud integra ſunt ſqq. Heinſ. expuncto* τὸ fuit, *volebat* animi. *Parum quidem hoc prodeſt. Iac. Perizonius monuit*, fratris initia *ad Attali Philad. operam eo bello praeſtitam referenda eſſe; quod quomodo huc conveniat, non intelligimus. Malimus vero vocem* animo *a prioribus interpungere et ſqq. ita reſcribere* medius fuit; animo neque favit eius initiis, neque ſuae reſp.

fuit animo, neque fratris initiis, neque suae respondit consuetudini. Tum Senatus populusque Romanus Aemilium Paullum, qui et praetor et consul triumphaverat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, Cos. creavit; filium eius Paulli, qui ad Cannas quam tergiversanter perniciosam reipublicae pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat. is Persen ingenti proelio, apud urbem nomine Pydnam in Macedonia, fusum fugatumque castris exuit; deletisque eius copiis, destitutum omni spe coëgit e Macedonia profugere. quam ille linquens, in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit. ad eum C. Octavius praetor, qui classi praeerat, pervenit; et ratione magis quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. quo anno et Octavii praetoris navalis, et Anicii regem Illyriorum Gentium ante currum agentis, triumphi fuere celebres. Quam sit assidua eminentis fortunae comes invidia altissi-

conf. *qui antea rem Romanam semper iuverat, et Persei inimicum egerat. Sic Livius* XLIV, 24 *extr.* Eumenes neque favit victoriae Persei, neque eum invadere bello, animo habuit. *Sed legas totam belli historiam ap. Liv.* XLII *sq. Infra L.* II, 21 *noster plenius dixit de Q. Pompeio:* ita se dubium mediumque partibus praestitit *etc.*

misque adhaereat, etiam hoc colligi poteſt, quod; cum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Paulli impedire obniterentur: cuius [1] tantum priores exceſſit, vel magnitudine regis Perſei, vel ſpecie ſimulacrorum, vel modo pecuniae, ut bis millies centies HS aerario contulerit. et omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit. Per idem tempus, cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis [2] Olympicum inchoavit, tum Rex Syriae, Ptolemaeum puerum Alexandriae obſideret; miſſus eſt ad eum legatus [3] M. Popillius Laenas, qui iuberet incepto deſiſtere. mandataque expoſuit; et regem, deliberaturum ſe dicentem, circumſcripſit virgula, iuſſitque prius reſponſum reddere, quam egrederetur finito arenae circulo. Sic [4] cogitationem regiam Romana disiecit conſtantia; obeditumque imperio. Lucio autem Paullo, magnae victoriae compoti, quatuor filii fuere. ex iis duos, natu maiores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maieſtate praeter ſpeciem nominis, vigoremque eloquentiae, retinenti,

1. *Int.* triumphus.

2. *Sylburg. mavult* Olympieum; Ὀλυμπιεῖον.

3. *Polyb.* Cic. *et Liv. ſi audias, praenomen fuit* Caius.

4. *Cave cum Lipſ. legas* tunctationem. *Cogitaverat magna, quae moliretur. Sit Tac. Ann.* XV, 54 atque ipſe magnae cogitationis manifeſtus erat; *et Hiſt.* IV, 86 *de Domitiano:* qua cogitatione bellum adverſus patrem agitaverit -- in incerto fuit.

in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo: duos minores natu, praetextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit. Is cum in concione extra urbem, more maiorum, ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortales precatus est, *ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunae suae, in ipsum potius saevirent, quam in rempublicam.* quae vox, veluti oraculo emissa, magna parte eum spoliavit sanguinis sui. nam alterum ex [1] suis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa haec tempora censura Fulvii Flacci et Postumii Albini fuit. quippe Fulvii censoris frater, et quidem consors, Cn. Fulvius, senatu motus est ab iis censoribus. Post victum captumque Persen, qui qua- 11
driennio post in libera custodia Albae decessit, *Pseudophilippus*, a mendacio simulatae originis appellatus, (qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat, cum esset ultimae [2]) armis occupata Macedo-

1. *Sic certe ed. pr. Alii* iis *l.* his.

2. *De quo Flor II*, 14, quippe regnum pariter et bellum vir ultimae sortis Andriscus invaserat; dubium, an liber, an servus, mercenarius certe: sed quia vulgo ex similitudine Philippi, Pseudophilippus, regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit. *Tacit. Ann.* XII, 62 regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum

nia, adſumtis regni inſignibus, brevi temeritatis poenas dedit: quippe Q. Metellus praetor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum erat, praeclara victoria ipſum gentemque ſuperavit: et immani etiam Achaeos rebellare incipientes fudit acie. Hic eſt Metellus Macedonicus, qui porticus, quae fuere circumdatae duabus aedibus ſine inſcriptione [1] poſitis, quae nunc Octaviae porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam ſtatuarum equeſtrium, quae frontem aedium ſpectant, hodieque maximum ornamentum eius loci, ex Macedonia detulit. cuius turmae hanc cauſſam referunt: Magnum Alexandrum impetraſſe a Lyſippo, ſingulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipſius turma apud Granicum flumen ceciderant, expreſſa ſimilitudine figurarum, faceret ſtatuas, et ipſius quoque iis interponeret. Hic idem, primus omnium Romae aedem ex marmore in iis ipſis monumentis molitus, vel magnificentiae vel luxuriae princeps fuit. Vix ullius gentis, aetatis, ordinis hominem inveneris, cuius felicitatem fortunae Metelli compares. nam praeter excellentes [2] triumphos, honoreſque ampliſſimos, et principale in republica faſtigium, extentumque vitae ſpatium, et acres in-

impoſitum *cf. Livius epit.* XLIX.

1. *Nomina ſcil. auctorum inſcribi ſolita*; *vid. Plin.* XXXVI, 5.

2. *Augendi cauſa pluralis numerus adhibetur pro ſing.*

nocenteſque pro republica cum inimicis contentiones, quatuor filios ſuſtulit: omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit ſuperſtites et honoratiſſimos. mortui eius lectum pro roſtris ſuſtulerunt quatuor filii: unus conſularis et cenſorius, alter conſularis, tertius conſul, quartus candidatus conſulatus, quem honorem adeptus eſt. Hoc eſt nimirum magis, feliciter de vita migrare, quam mori. Univerſa de- 12
inde, ut praediximus [1], inſtincta in bellum Achaia, cuius pars magna eiuſdem Metelli Macedonici virtute armiſque fracta erat, maxime Corinthiis in arma, cum gravibus etiam in Romanos contumeliis, inſtigantibus; deſtinatus ei bello gerendo Cos. Mummius. Et ſub idem tempus, magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginenſibus diceretur, credere, quam quia credenda adferebantur, ſtatuit Senatus Carthaginem excidere. Ita eodem tempore P. Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani paterniſque L. Paulli virtutibus ſimillimus, omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac ſtudiorum eminentiſſimus ſeculi ſui, qui nihil in vita niſi laudandum aut fecit aut dixit ac ſenſit, (quem, Paullo genitum, adoptatum a Scipione Africani filio, diximus [2]) aedilitatem petens Cos. creatus eſt.

1. *Cap. priori;* et immani etiam Achaeos, rebellare incipientes, fudit acie. *Heinſ. fruſtra* Achaiam *in* Graeciam *mutare geſtit.*

2. *Supra c.* 10.

Bellum Carthagini, iam ante biennium a prioribus Coss. illatum maiore vi intulit: cum ante in Hiſpania murali corona, in Africa obſidionali donatus eſſet; in Hiſpania vero etiam ex provocatione, ipſe modicus virium, immanis magnitudinis hoſtem interemiſſet. Eamque urbem, magis invidia imperii, quam [1] ullius eius temporis noxiae inviſam Romano nomini, funditus ſuſtulit: fecitque ſuae virtutis monumentum, quod fuerat avi eius clementiae. Carthago diruta eſt, cum ſtetiſſet annos [2] DCLXVII, abhinc annos CLXXVII, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coss. Hunc finem habuit Romani imperii Carthago aemula; cum qua bellare maiores noſtri coepere Claudio et Fulvio Coss. ante annos CCXCVI, quam tu, M. Vinici, conſulatum inires. ita per annos CXV, aut bellum inter eos populos, aut belli praeparatio, aut infida pax fuit. neque ſe Roma, iam terrarum orbe ſuperato, ſecuram ſperavit fore, ſi nomen uſquam ſtantis maneret Carthaginis: adeo odium, certaminibus ortum, ultra metum durat; et ne in victis quidem deponitur, neque ante inviſum eſſe deſinit,
13 quam eſſe deſiit. Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendae eius auctor,

1. *Sic ex Rhenano Grunerus reddidit, cum vulgo ex emend. Lipſii legatur* ullis eius temporis noxis. *Sed bene ſe habet lectio priſca, ſi genitivos* ullius — noxiae *regi credas ab* invidia.

2. *Rectius* DCLXX. *Sic Eutr. et ſibi conſtat Vell. ſupra c.* 6.

L. Cenſorino, M. Manlio Coss. mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum, poſt annos DCCCCLII, quam ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit. uterque imperator, devictae a ſe gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus eſt Achaicus. nec quiſquam ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit. Diverſi imperatoribus mores, diverſa fuere ſtudia. quippe Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque doctrinae et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praeccellentes ingenio viros, domi militiaeque ſecum habuerit. neque enim quiſquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio diſpunxit, ſemperque aut belli aut pacis ſerviit artibus: ſemper inter arma ac ſtudia verſatus, aut corpus periculis aut animum diſciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos reddituros. Non tamen, puto, dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, et quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

I NOTITIA COLONIARUM

post Romam a Gallis captam iussu Senatus deductarum, Libro I *et* II *interposita* [1].

14 Cum facilius cuiusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhaereat; statui priorem huius voluminis posterioremque partem, non inutili rerum notitia in artum contracta, distinguere: atque huic loco inserere, quae quoque tempore, post Romam a Gallis captam, deducta sit colonia iussu Senatus. nam militarium et caussae et auctores [2] et ipsarum praefulgent nomina. huic rei per idem tempus civitates propagatas, auctumque Romanum nomen communione iuris, haud intempestive subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli urbem ceperunt, *Sutrium* deducta colonia est; et post annum *Setina*; novemque interiectis annis *Nepe*; deinde, interpositis duobus et triginta, *Aricini* in civitatem recepti. abhinc annos autem CCCL, Sp. Postumio, Veturio Calvino Coss. *Campanis* data est civitas, partique *Samnitium*, sine suffragio: et eodem anno *Cales* deducta colonia. Interiecto deinde triennio *Fundani* et *Formiani* in civitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria condita est. insequentibusque

1. *Hanc notitiam congessit auctor, postquam opus suum absolvisset, quod patet et ex eius initio, et ex eo quod notavimus ad c.* 15.

2. *Burm. vult* ex- nomine.

Coss. a Sp. Postumio, Philone Publilio censoribus *Acerranis* data civitas: et post triennium *Tarracina* deducta colonia; interpositoque quadriennio *Luceria*; ac deinde, interiecto triennio, *Suessa Aurunca*; et *Saticula*, *Interamna*que post biennium. Decem deinde hoc munere anni vacaverunt. tunc *Sora* atque *Alba* deductae coloniae, et *Carseoli* post biennium. at quintum Fabio, Decio Mure quartum Coss. quo anno Pyrrhus regnare coepit, *Sinuessam Minturnas*que missi coloni, post quadriennium *Venusiam*: interiectoque biennio, M. Curio et Rufino Cornelio Coss. *Sabinis* sine suffragio data civitas. id actum ante annos ferme CCCXX. At *Cossam* et *Paestum* abhinc annos ferme CCC, Fabio Dorsone et Claudio Canina Coss. interiecto quinquennio, Sempronio Sopho et Appio Caeci filio Coss. *Ariminum*, *Beneventum*, coloni missi; et suffragii ferendi ius *Sabinis* datum. at initio primi belli Punici *Firmum* et *Castrum* colonis occupata; et post annum *Aesernia*; postque XXII annos *Aesulum* et *Alsium*; *Fregellae*que post biennium; proximoque anno, Torquato Sempronioque Coss. *Brundisium*; et post triennium *Spoletium*, quo anno Floralium ludorum factum est initium. postque biennium ducta *Valentia*, et sub adventum in Italiam Hannibalis, *Cremona* atque *Placentia*. Deinde, neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum eius annis, vacavit Romanis colo-

nias condere; cum esset in bello conquirendus potius miles quam dimittendus, et post bellum vires refovendae magis, quam spargendae. Cn. autem Manlio Volsone [1] et Fulvio Nobiliore Coss. *Bononia* deducta colonia, abhinc annos ferme CCXVII; et, post quadriennium, *Pisaurum* ac *Potentia*; interiectoque triennio *Aquileia* et *Gravisca*, et post quadriennium *Luca*. Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, *Puteolos Salernum*que et *Buxentum* missi coloni. *Auximum* autem in Picenum, abhinc annos CLXXXVII, ante triennium, quam Cassius censor, a Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit. cui [2] inde moliendo eximia civitatis severitas et Cos. Scipio restitere, quod ego inter clarissima publicae voluntatis argumenta numeraverim. Cassio autem Longino et Sextio Calvino, qui Sallues apud Aquas, quae ab eo Sextiae appellantur, devicit, consulibus, *Fabrateria* deducta est, abhinc annos ferme [3] CLII; et post annum, *Scylacium*, *Minervium*, *Tarentum*, *Neptunia*; *Carthago*que in Africa, prima, [4] ut praediximus, extra Italiam colonia

1. *Vulg.* M. Fulvio. *Sed Cod. MS. et ed. Rhen.* et Fulvio.

2. *Vulg. male* cui in demoliendo. *Nos Acidalium sequimur, spretis aliorum nugis.*

3. *Lips. vere sic emendat, Vulg.* CLVII.

4. *Reiicienda visa sunt nonnullis verba* ut praediximus. *Atque nihil eius in his,*

condita eſt. de *Dertona* ambigitur. *Narbo* autem *Martius* in Gallia, Porcio Marcioque Coss. abhinc annos circiter CLIII, deducta colonia eſt. poſt tres et viginti annos in Vagiennis *Eporedia*, Mario ſexies, Valerioque Flacco Coss. Neque facile memoriae mandaverim, quae, niſi militaris, poſt hoc tempus deducta ſit.

II *Locus de eo, quod ingenia excellentia artesque in unam formam arctioremque aetatem congruant* [1].

Cum haec particula operis velut formam propo- 16
ſiti exceſſerit, quamquam intelligo, mihi in hac tam praecipiti feſtinatione, quae me rotae pronive gurgitis ac verticis modo nuſquam patitur conſiſtere, paene magis neceſſaria praetereunda, quam ſupervacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi quin rem ſaepe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, ſignem ſtylo. Quis enim abunde mirari poteſt, quod eminentiſſima cuiuſque profeſſionis ingenia, in eandem formam, et in idem artati temporis [2] congruêre ſpatium; et

quae reſtant, praedixit, aut prius dicendi locum habuit Velleius. Sed ea narrat L. II, c. 15. Unde credibile ſit, Velleium hanc coloniarum recenſionem abſoluto opere feciſſe, et ea L. I et II diſtinctos voluiſſe, quod ipſe dixit c. 14.

1. *Et hic ſcriptus videtur opere iam abſoluto. Brevius eandem rem attigit L. II, c. 9 et* 36.

2 *Vulg.* congruent; *Gru-*

quemadmodum clausa [1] capso, [2] aliove septo, diversi generis animalia, nihilo minus separata alienis, in unum [3] quaeque corpus congregantur; ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudinem et temporum et profectuum semet ipsa ab aliis separaverunt? Una, neque multorum annorum spatio divisa, aetas, per divini spiritus viros, *Aeschylum*, *Sophoclem*, *Euripidem*, illustravit tragoedias: una priscam illam et veterem sub *Cratino*, *Aristophane* et *Eupolide* comoediam: [4] ac novam comicam *Menandrus*, aequalesque eius aetatis magis quam operis, *Philemon* ac *Diphilus*, et invenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere. Philosophorum quoque ingenia, *Socratico* ore defluentia, [5] quanto post *Platonis Ari-*

ner. inde elicit minus pulchre congregarunt se. *Sed lenius nostrum*, congruere *s.* congruerunt, *credas esse; et* lo *s finale prave agnatum ex seq. voce* spatium.

1. *Ed. pr. mendose* capsa; *quod et Burm. dedit. Capsus est septum sudibus factum.*

2. *Sic Lips. Acid. Voss. Burm. et Grun. volunt pro* alioque.

3. *Sic edid. Burm. Ed. princ. habet* quoque; *alii* quodque.

4. *Manut. mavult* at. *Mox Lips. Acid. Voss. expungi volunt* comicam; *Gruner. malit* comoediam.

5. *Vulgo male huc ingesta, quae mox in veriorem sedem suam reducimus verba* omnium, quos paulo ante enumeravimus, *perturbant editores, quibus vel mutanda, vel delenda visa sunt. Gruner. autem precario* lo paulo ante *trahit ad eam libri*

*ſtoteliſ*que mortem floruere ſpatio? Quid ante *Iſocratem*, quid poſt eius auditores eorumque diſcipulos clarum in oratoribus fuit? Adeo quidem [1] omnium, quos paulo ante enumeravimus, aevum artatum anguſtiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint. Neque hoc in 17 Graecis, quam in Romanis, evenit magis. nam, niſi aſpera ac rudia repetas, et inventi laudanda nomine, *Accio* circaque eum Romana tragoedia eſt. dulceſque latini leporis facetiae per *Caecilium Terentium*que et *Afranium* [2] ſuppari aetate nituerunt. hiſtoricos (ut et *Livium* quoque priorum aetati aſtruas) praeter *Catonem* et quoſdam veteres et obſcuros, minus LXXX annis circumdatum aevum tulit: ut nec poëtarum in antiquius citeriuſve proceſſit ubertas. At oratio, ac vis forenſis, perfectumque proſae eloquentiae decus, ut idem ſeparetur *Cato* (pace *P. Craſſi*, *Scipioniſ*que, et *Laelii*, et *Gracchorum*, et *Fannii*, et *Ser. Galbae* dixerim) ita univerſa ſub principe operis ſui erupit *Tullio*; ut delectari ante eum pauciſſimis, mirari vero neminem poſſis, niſi aut ab illo viſum, aut qui illum

partem, quae periit; idemque dein ſqq. vexat.

1. *Traducimus huc verba, quae ſupra turbas dederant. hic vero apprime conveniunt:* omnium (*int. Tragicorum, comicorum, philoſophorum, oratorum) etc. Addimus vero* aevum, *quod in migratione illa exciderat.*

2. *Vulg. male dividit* ſub pari.

viderit. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribusque, si quis temporum institerit notis, reperiet, et eminentia cuiusque operis artissimis temporum claustris circumdata. Huius ergo [1] recedentis in suum seculum ingeniorum similitudinis, congregantisque semet in studium par et emolumentum, caussas cum semper requiro; numquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse verisimiles. inter quas has maxime: alit aemulatio ingenia: et nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod summo studio petitum est, ascendit in summum: difficilisque in perfecto mora est; naturaliterque, quod procedere non potest, recedit. et, ut primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur; ita, ubi aut praeteriri, aut aequari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit; et quod adsequi non potest, sequi desinit; et, velut occupatam relinquens materiam, quaerit novam; praeteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus; sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti

1. *Vulgata sane laborat graviter, quae a Rhenano cunctas obsidet edd.* Huius ergo praecedentisque seculi ingeniorum similitudines congregantis et in studium par et in emolumentum. *Ita vero* MS. *teste Burerio habet :* huius ergo recedentis inq. seculum ingeniorum similitudines congregantesq. se et in studium par memolumen-

operis impedimentum ſit. Tranſit admiratio [1] a conditione temporum ad urbium. Una urbs Attica pluribus [2] armis eloquentiae, quam univerſa Graecia, operibuſque floruit; adeo ut corpora gentis illius ſeparata ſint in alias civitates; ingenia vero ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes. Neque ego hoc magis miratus ſim, quam neminem Argivum, Thebanum, Lacedaemonium oratorem, aut dum vixit auctoritate, aut poſt mortem memoria dignum exiſtimatum. quae urbes, et [3] civitates, talium ſtudiorum fuere ſteriles, niſi Thebas unum os *Pindari* illuminaret. nam *Alcmana* Lacones falſo ſibi vindicant. 18

tum. *Propius abſumus.*

1. *Vulg. corrupte* ad conditionem temporum et ad urbium. *Sed de temporum forma iam egerat; neque operae pretium eſt, ſingula ab aliis conjecta referre. Quod Grunerus in melius conſuluit, recipimus.*

2. *Reſtituimus Velleio ſuum ex lectione* MS. *et ed. princ. quae cum corrupte haberet* pluribus annis eloquentiae, *Lipſ. lapſus eſt emendando* — pl. ann. eloquentia, quam univerſa Gr. uberiuſque floruit.

3. *Cod.* MS. et initalia; *unde noſtrum facilius ſit, quam Rhen. et Acid.* et multae aliae. *Gruter. id a librario ſuperinductum putans legit* et in Italia, *in qua id pariter evenerit.*

VELLEII PATERCULI HISTORIAE ROMANAE

AD M. VINICIVM Cos.

Liber II.

1 Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae poſterior aperuit. quippe remoto Carthaginis metu, ſublataque imperii aemula, non gradu, ſed praecipiti curſu, a virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum; vetus diſciplina deſerta, nova inducta; in ſomnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium converſa civitas. Tum Scipio Naſica in Capitolio porticus, tum, quas praediximus, Metellus, tum in Circo Cn. Octavius multo amoeniſſimam moliti ſunt: publicamque magnificentiam ſecuta privata luxuria eſt. Triſte deinde, et contumelioſum bellum in Hiſpaniā, duce latronum Viriatho, ſecutum eſt: quod ita varia fortuna geſtum eſt, ut ſaepius [1] Romanorum gereretur adverſa. ſed interemto Viriatho, fraude magis quam virtute Servilii Caepionis, Numantinum gravius exarſit. Haec urbs numquam decem

1. *Heinſ. mavult* Romanis. *Schefferus autem illud* Romanorum *refert ad vocem* fortuna. *Nobis videtur abſumpta vocula* res Romanorum gereretur adverſâ *int.* fortuna.

millibus plura propriae iuventutis armavit: ſed, vel ferocia ingenii, vel inſcitia noſtrorum ducum, tum Pompeium magni nominis virum ad turpiſſima deduxit foedera, [1] (hic primus e Pompeiis Cos. fuit) nec [2] minus turpia ac deteſtabilia Mancinum Hoſtilium Cos. Sed Pompeium gratia impunitum habuit: Mancinum verecundia, [3] culpae poenam non recuſando, perduxit huc, ut per fetiales nudus, ac poſt tergum religatis manibus, dederetur hoſtibus. quem illi recipere ſe negaverunt, ſicut quondam Caudini fecerunt, dicentes publicam violationem fidei non debere unius lui ſanguine. Im- 2
manem deditio Mancini civitatis movit diſſenſionem. quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi clariſſimi atque eminentiſſimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo quaeſtore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a ſe factum

1. *Interpoſita vulg. poſt* foedera *verba probabiliter poſſis ex margine in textu ingeſta cum aliis ſuſpicari.*

2. *Gruner. h. l.* ad *excidiſſe ſuſpicatur.*

3 *Vulg.* imp. habuit; Mancinum verecundia. Quippe non recuſando perduxit huc. *Miſere diſcerpta ſunt et cum ratione pugnant. Mancinus omnino poenam ſubiit deditionis. Sed ulcus, quod Burm. in* quippe *latere ſuſpicatus eſt, ſanandum erat. Sanaſſe nobis videmur, quod ſcriptum fuerit* culpe penā nō. *Saepiſſime in* MSS. *in concurſu duarum ſyllabarum affinium, altera abſumta fuit. hinc factum* culp pe nō ; *inde tandem* quippe non.

infirmari, nunc similis vel iudicii vel poenae metuens discrimen, Tribunus plebis creatus, (vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas [1] perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit) P. Mutio Scaevola, L. Calpurnio Coss. abhinc annos CLXII descivit a bonis [2]. Pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, [3] omnibus statum concupiscentibus, summa imis miscuit: et in praeruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam: Octavioque collegae, pro bono publico stanti, imperium abrogavit: Triumviros agris dividendis coloniisque deducendis creavit se, socerumque suum consularem, Appium, et Gracchum fratrem,
3 admodum iuvenem. Tum P. Scipio Nasica, (eius qui optimus vir a senatu iudicatus erat, nepos; eius qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius; pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patrui) privatusque et togatus, cum esset consobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi

1. *Ferenda magis quam tentanda formula, cui similis legitur infra c.* 97. Natura *et* industria *casus sexti sunt. Ita sensus:* quantas homo perfecte et natus et eruditus habere potest.

2. *s. ab optimatibus.*

3. *Cave sqq. cum Criticis vexes verba* omn. statum conc. *Nihil eorum, quae commenti sunt, probabilius est quam vulg.* Status *h. l. fortunae conditio melior.*

praeferens, et quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans (ob eas virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est) circumdata laevo brachio togae lacinia, ex superiore parte Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, *qui salvam vellent rempublicam, se sequerentur.* Tum [1] optimates, Senatus atque equestris ordinis pars melior et maior, et intacta perniciosis consiliis [2] plebs, irruere in Gracchum, stantem in area cum catervis suis, et concientem paene totius Italiae frequentiam. Is fugiens, decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior: discordiaeque civium, antea conditionibus sanari solitae, ferro diiudicatae; bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit. quod haud mirum est. non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt; sed, quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt: et,

1. *h. l. qui a popularibus diversi causam Senatus, ut optimam, tuebantur, et nobiles plerique erant utriusque ordinis et senatorii et equestris. Vox* Senatus *est casus sec. cave igitur, tentes cum Grun. et cf. Eutr.* VI, 16; *Oros.* V, 9.

2. *Hi igitur erant inter bonos, sed non optimates.*

ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur: nec quisquam sibi putat turpe, quod alii
4 fuit fructuosum. Interim dum haec in Italia geruntur, Aristonicus, [1] qui mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Romano hereditate relicta erat, sicut relicta postea est a Nicomede Bithynia, mentitus regiae stirpis originem, armis eam [2] occupaverat; is victus a M. Perperna, [3] ductusque in triumpho, sed a Manio Aquillio, capite poenas de-

1. *Eumenis II regis Pergami filius ex concubina Ephesia, et Attali III frater illegitimus. Restituimus vero ex ed. princ. pronomen* qui, *ab Erasmo frustra deletum et sqq. edd. omissum. Saepe enim et apud auctt. cett. illi subiici* is, *nemo ignorat.*

2. *Al. male* occupat. *Recte nostrum ex Cod.* MS. *s. ed. Rhen. revocavit Grunerus.*

3. *Alii, ut Eutrop. IV, 20 et Oros. V, 10 narrant, Aristonicum iussu Senatus in carcere strangulatum esse, neque de eo triumphatum, quod Perperna apud Pergamum, Romam rediturus, diem obierit. Sed Iustinus XXXVI, 4 refert, Aquillium ad eripiendum Perpernae Aristonicum, velut sui triumphi munus esse deberet, properasse, et contentionem consulum morte Perpernae diremtam esse. Et Mithridates, in ep. ad Arsacen ap. Sall. fragm. hist. L. IV ait:* Aristonicum - hostium more per triumphum duxere, *quod et Val. Max.* III, 4 *et* 5 *innuit, licet id falso a Perperna factum dicat. Itaque credibilius, de Aristonico triumphatum esse, sed ab Aquillio dein iussu Senatus strangulatum ob caedem Crassi. Sequimur vero Manutium, qui et e Strabone legendum censuit:* sed a M. *Vulg. omittitur praep.* a.

dit; cum initio belli Crassum Mucianum, virum iuris scientissimum, decedentem ex Asia proconsulem, interemisset. Et P. Scipio Africanus Aemilianus, qui Carthaginem deleverat, post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum Cos. missusque in Hispaniam, fortunae virtutique, expertae in Africa, respondit in Hispania: et intra annum ac tres menses, quam eo venerat, circumdatam operibus Numantiam excisamque aequavit solo: nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuae commendavit memoriae. quippe, excisa Carthagine ac Numantia, ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis. Hic, eum interrogante tribuno Carbone, *quid de Tib. Gracchi caede sentiret?* respondit, *si is occupandae reipublicae animum habuisset, iure caesum.* Et, cum omnis concio adclamasset [1]: *Hostium*, inquit, *armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca* [2] *est Italia?* Reversus in urbem intra breve tempus, Manio Aquillio, C. Sempronio Coss. abhinc annos CL, post duos consulatus, duosque triumphos, et bis excisos terrores reipublicae, mane in lectulo repertus est mor-

1 *Scil. improbando. Verbum enim in utramque partem accipitur, et antiquis saepe in malam. Frustra igitur quidam volunt:* occlamasset.

2 *Non mater. credimus, ut imbellium s. minus bonorum.*

tuus, ita ut quaedam elisarum faucium in cervice reperirentur notae. De tanti viri morte nulla habita est quaestio: eiusque corpus velato capite elatum est, cuius opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput. seu fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriae, mortem obiit; vitam certe dignissimam egit, quae nullius ad id temporis praeterquam avito fulgore vinceretur. Decessit anno ferme [1] LVI; de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum eius, in quem creatus est anno XXXVI: ita
5 dubitare desinet. Ante tempus excisae Numantiae praeclara in Hispania militia [2] D. Bruti fuit: qui penetratis omnibus Hispaniae gentibus, ingenti vi hominum, urbiumque potitus numero, aditis quae vix audita erant [3], *Gallaeci* cognomen meruit. Et ante eum paucis annis tam severum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, ut, cum urbem Contrebiam nomine in Hispania [4] oppugna-

1. *Lips. ex ipsis temporum metis quas Vell. ponit, colligit* LIV. *at alii mox malunt* XXXVIII, *quod verius; cf. Liv.* XLIV, 44.

2. *Al.* A. *Sed* Decimum, *non* Aulum *nominant, qui de Gallaecis et Lusitanis triumphavit, Cicero aliique, quod observat Manut. firmat Ursin. probat Boecler. ac rec. Gruner. cf. Flor.* II, 14, 12 *et Freinsh. ad eund.*

3. *Ad Lethen enim progressus est, primus ipse Romanorum ausus eum fluvium transire, teste Appiano Alex. de bello Hisp. p.* 500 *cf. et Flor. l. c.*

4. *In limite Celtiberorum.*

ret, pulsas praecipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem protinus subire iuberet: facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, perseverantia [1] ducis, quem moriturum miserat militem, victorem recepit: tantum effecit mistus timori pudor, spesque desperatione quaesita. Hic virtute ac severitate facti; at Fabius Aemilianus, Paulli exemplo disciplinae [2], in Hispania fuit clarissimus. Decem deinde interpositis annis, qui 6
Tib. Gracchum, idem Caium, fratrem eius occupavit furor, tam virtutibus eius omnibus, quam huic errori similem, ingenio etiam eloquentiaque longe praestantiorem. qui cum summa quiete animi civitatis princeps esse posset, vel vindicandae fraternae mortis gratia, vel praemuniendae regalis potentiae, eiusdem exempli tribunatum ingressus, longe maiora [3] et acriora repetens, dabat civitatem omnibus Italicis, extendebat eam paene usque Alpes; dividebat agros; vetabat quemquam civem plus quingentis iugeribus habere (quod aliquando

1. *Casum sextum habeas, et exponas, per perseverantiam, quae ducem decet. videntur tamen hae duae voces e margine in textum irrepsisse.*

2 *Patris disciplinam secutus.*

3. *Nescimus an acutius veriusque Lips. velit* et acrius. *probat Gruter. improbat Boecler. alii aliter; e quibus Burm.* et acriore vi, *Gruner.* et acrius. *Nos ferimus vulg.*

lege Licinia cautum erat); nova constituebat portoria; novis coloniis replebat provincias; iudicia a senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare instituerat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat: quin alterum etiam continuavit tribunatum. hunc L. Opimius Cos. qui praetor Fregellas exciderat, persecutus armis, unaque Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, aeque prava cupientem, (quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris Triumvirum nominaverat, eum [1] socium regalis adsumserat potentiae) morte adficit. id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi [2], sed civis Romani pretium se daturum, idque auro repensurum proposuit. Flaccus in Aventino, armatos ad pugnam ciens, cum filio maiore iugulatus est. Gracchus profugiens, cum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem [3] Euporo servo praebuit; qui non segnius se ipse interemit, quam do-

1. *Appositionem novam malumus uncinis intercludere et mox cum ed. pr. reddere* eum socium *etc. Vulgo legitur* eumque, *inde alii aliter corrigunt. Nisi interpositio habenda sit; nos malumus* et in societatem *etc.*

2. *Cuius ut tribuni pl. caput sacrosanctum esse debuit; cf. Flor.* III, 15.

3. *Dissentiunt in nomine veteres, teste Macrobio* I, 11. *Plutarcho vocatur* Philocrates; *Aurel. Vict.* Euphorus.

mino ſuccurrerat. Quo die ſingularis [1] Pomponii equitis Ro. in Gracchum fides fuit. qui more Coclitis, ſuſtentatis in ponte [2] hoſtibus eius, gladio ſe transfixit. Ut Tib. Gracchi antea corpus, ita Caii, mira crudelitate victorum, in Tiberim deiectum eſt. Hunc Tib. Gracchi liberi, P. Scipio- 7
nis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri optimis ingeniis male uſi, vitae mortiſque habuere exitum. qui ſi civilem dignitatis concupiſſent modum; quidquid tumultuando adipiſci geſtierunt, quietis obtuliſſet reſpublica. Huic atrocitati adiectum ſcelus unicum [3]. quippe iuvenis, ſpecie excellens, necdum duodeviceſimum transgreſſum annum, immuniſque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miſerat, ab Opimio interemtus eſt. quem cum haruſpex Tuſcus [4], amicus, flentem in vincula duci vidiſſet,

1. *Singularis fidei in Gracchum exemplum non Pomponius modo, ſed et Laetorius dedere, teſte Val. Max.* IV, 7, *qui Laetorio tribuit, quod noſter Pomponio de converſo in ſe tandem gladio. Eandem hiſtoriam narrat Plut. in Graccho, ſed pro Laetorio mendoſe vocat* Licinium.

2. *Al.* hoſtibus, eius gladio *etc. Hinc nugae editorum. Nos interciſionem, quam Puteanus et Graevius ſuaſere, ſequimur.*

3. *ſ. ſingulare et unici exempli; cf. infra* 8 clarum exemplum et adhuc unicum *etc.*

4. *Quem Val. Max.* IX, 12, 6. Herennium Siculum *vocat.*

Quin tu hoc potius, inquit, *facis?* protinusque, illiso capite in postem lapideum ianuae carceris, effusoque cerebro, exspiravit. Crudelesque mox quaestiones in amicos clientesque Gracchorum habitae sunt. sed Opimium, virum alioqui [1] sanctum et gravem, damnatum postea iudicio publico, memoria ipsius saevitiae, nulla civilis persecuta est misericordia. Eadem Rutilium Popilliumque, qui Coss. asperrime in Tib. Gracchi amicos saevierant, postea iudiciorum publicorum merito oppressit invidia. (Rei tantae parum ad notitiam pertinens interponetur. Hic est Opimius, a quo Cos. celeberrimum *Opimiani vini* [2] nomen: quod iam nullum esse, spatio annorum colligi potest; cum ab eo sint ad te, M. Vinici, consulem, anni CLI.) Factum Opimii, quod inimicitiarum quaesita erat ultio, minor secuta auctoritas: et visa [3] ultio pri-

1. *h. e. praeter hoc unum, quod se a Iugurtha corrumpi passus est, (cf. Sall. Iug.* 16*) ob quod admissum repetundarum damnatus cf. Plut. in Graccho. Ciceronem tamen, fautorem optimatum, si audias pro P. Sextio* 67 indignissime concidit - et alia quaedam civem egregium iniqui iudicii procella pervertit.

2. *De quo vid. Plin. hist. nat.* XIV, 4 *et* 14.

3. *Lipsium Heinsiumque offendit huius vocis repetitio. Sed et nos cum Voss. et Grunero nil mutandum censemus: quippe eius generis repetitio apud nostrum frequens est.*

vato odio magis, quam publicae vindictae data.
Subinde Porcio Marcioque Coss. deducta colonia, 8
Narbo Martius. Mandetur deinde memoriae ſeveritas iudiciorum. quippe C. Cato conſularis, M. Catonis nepos, Africani ſororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus eſt, cum lis eius [1] quater millibus aeſtimaretur. adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum: factaque ad conſilium dirigebant, et quid, non in quantum, admiſſum foret, aeſtimabant. Circa eadem tempora Metelli fratres uno die triumphaverunt. Non minus clarum exemplum, et adhuc unicum Fulvii Flacci, eius qui Capuam ceperat, filiorum, ſed alterius in adoptionem dati, in collegio Cos. fuit [2] (adoptivus in Acidini Manlii familiam datus). nam [3] cenſura Metellorum, patruelium, non germanorum, fratrum fuit: quod ſolis contigerat Scipionibus [4]. Tum Cimbri et Teu-

1. *Rectiorem numerum Cic. in Verrem* IV, 10 *indicat:* Ita C. Cato - quo damnato, tum, cum ſevera iudicia fiebant, HS XVIII millibus lis aeſtimata eſt.

2. *Faſti capitolini ad an.* 574 *ſic habent:* L. MANLIVS L. F. L. N. ACIDINVS FVLVIANVS Q. FVLVIVS Q. F. M. N. FLACCVS. HEI FRATRES GERMANI FVERVNT.

3. *Neſcimus, quae ſuperſtitio moverit Burm. et Gruner. ut ex ed. Rhen. redderent* cenſus, *quod pridem correxerant editores in noſtrum.*

4. *Qui, obſervante Manutio, eodem anno aediles*

toni tranſcendere Rhenum, multis mox noſtris ſuiſque cladibus nobiles. Per eadem tempora clarus eius Minucii, qui porticus, quae hodieque celebres ſunt, molitus eſt, e Scordiſcis [1] triumphus
9 fuit. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus, Laeliuſque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. nec praetereundus Metellus Numidicus, et Scaurus, et ante omnes L. Craſſus et M. Antonius. quorum aetati ingeniiſque ſucceſſere C. Caeſar Strabo, P. Sulpicius. nam [2] Q. Mucius iuris ſcientia, quam [3] propriae eloquentiae nomine, celebrior fuit. Clara etiam per idem aevi ſpatium fuere ingenia, in togatis [4] Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Accii, uſque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti, magnumque inter hos ipſos facientis operi ſuo locum; adeo quidem, ut in illis limae, in hoc

fuere, Lucius et Publius fratres, cf. Polyb. hiſt. X, 4.

1. *Saeviſſimi omnium Thracum Floro* III, 4 *vocantur; hodie Bosnachi.*

2. *Al.* namque Muc. *Nos ſequimur Manutium.*

3. *Fruſtra Lipſ.* proprie, *quod rec. Burm. et Gruner. Alii aliter vexant. Nobis* propria eloq. *eſt, quae eſſet Mucii ſua quaedam propria et naturalis. Cicero in Bruto eum quidem haud in oratorum numero collocat, ſed* iurisperitorum *tamen* eloquentiſſimum *praedicat. Quint.* XII, 3, 9 *iuriſperito* Scaevolae conceſſa eſt etiam facundiae virtus.

4. *Int. comoediis, quae a Romana actorum toga ſic dicuntur, uti Graecorum palliatae. cf. Quint.* X, 100.

paene plus videatur fuisse sanguinis [1]. Celebre et Lucilii [2] nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello eques, militaverat. quo quidem tempore [3] iuvenes adhuc Iugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis; sed opus belli civilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. vetustior Sisenna fuit Coelius: aequalis Sisennae Rutilius [4], Claudiusque Quadrigarius, et Valerius Antias. Sane non ignoremus, eadem aetate fuisse Pomponium, sensibus celebrem [5], verbis rudem, et novitate inventi a se operis commendabilem [6]. Persequamur notam severitatem 10
censorum, Cassii Longini, Caepionisque, qui abhinc annos CLVII, Lepidum Aemilium augurem, quod sex millibus aedes conduxisset, adesse iusse-

1. *Cf. ad h. l. Quintil.* X, 1, 97 *de Accio ad Pacuvium comparato iudicium, cum Velleiano satis conveniens.*

2. *De quo vide Quint. l. c. n.* 93.

3. *Vulg.* iuvenis. *Nos eum Grunero facimus, qui id etiam de Mario dictum esse vult.*

4. *Quem Athenaeus* L. IV *historiam Romanam graece scripsisse, auctor est. Erravitque cum Cuiacio Schegkius, qui alium intelligit, de quo infra c.* 13.

5. *Sententiis clarum.*

6. *Atellanarum scriptorem eiusdem aetatis clarum, Pomponium Bononiensem Eusebius memorat Chron.* I. *De Atellanis et exodiis vid.* Liv. VII.

runt. at nunc, si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur: adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur. Eodem tractu temporum et Domitii ex Arvernis, et Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio, Paulli nepoti, ex victoria cognomen *Allobrogico* inditum. Notetur Domitiae familiae peculiaris quaedam, et ut clarissima, ita artata numero [1] felicitas. [2] Septem ante hunc, nobilissimae simplicitatis iuvenem [3], Cn. Domitium, fue-

1. *h. e. non clarissima solum, sed et densata numero virorum honoribus illustrium felicitas. Dicit autem haec adulandi causa, cum et aliae familiae tulerint plures honoribus claros.*

2. *Ed. pr.* Uti ante hunc etc. *sed Rhen. bene monuit sub illo* Uti *latere numerum. unde Man. fecit* VII *pro numero consulatuum, quos indicat Suet. Ner.* I. „ *Functi autem consulatibus VII, triumpho censuraque duplici* „. *Sed noster et sacerdotia in numerum honorum, quos gesserint, refert. Itaque maior forsan numerus fuerit clarorum honoribus virorum ex familia Aenobarborum: tantum abest, ut Lipsio accedamus, qui a Domitio Arvernorum victore quatuor tantum numerat consulatus ante Cn. Domitium Velleii aequalem. Sic certe non artata numero dici possit felicitas. At si cum octo consulatibus familiae Aenobarborum, quorum unus an.* 591 *suffectus fuit, coniungas sacerdotia quibus alii functi sunt, plures reperias ex gente Domitiorum; forsan* viginti. *Sed haec disputare curatius quis ausit? cf. c.* II *in fine.*

3. *Intelligit Cn. Domitium, Neronis Caes. patrem,*

re singuli omnino parentibus geniti[1]; sed omnes ad consulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem paene omnes pervenerunt insignia[2]. Bellum dein- 11
de Iugurthinum gestum est per Q. Metellum nulli secundum seculi sui. huius legatus fuit C. Marius, quem praediximus[3], natus[4] equestri loco, hirtus

id temporis clarum; cuius parentem, Lucium, infra c. 72. eminentissimae ac nobilissimae simplicitatis virum *praedicat, etiam ob incorrupti generis nobilitatem, cuius signum praebebat ipsa rutila barba, quam plerisque primi Aenobarbi posteris fuisse refert idem Suet.*

1. *Vulg.* singulis omn. par. geniti, *quod exponunt, quasi singulos sive non communes parentes habuerint, nullique fratres inter se fuerint; quod sane precarium nobis videtur. Lipsius putabat, qui unici fuerunt parentibus suis; et eodem sensu volebat* singuli omn. p. geniti. *quod quomodo latine dicatur, non satis intelligitur. Nos Lipsii correctionem eo dirigimus, ut singulos vere parentibus suis genitos dici credamus, generis sinceram nobilitatem vel ipsa rutila barba praeferentes. Sic adulator hanc trahit in laudem.*

2. *Scil. praeter illum de Arvernis triumphum an.* 632 *peractum, et aliis eius gentis l. familiae triumphalia ornamenta decreta esse credibile est. Lucium quidem Domitium, Antoniae, quae Augusti neptis fuit, maritum et Cnei patrem, ob longius penetratam Germaniam insignia triumphi adeptum esse, testatur Tacit. Ann.* IV, 44.

3. *Supra c.* 9.

4. *Marius, qui se hominem novum vocat Sall. Iug.* 85. *et nostro infra cap.* 128 ignotae originis *fuisse dicitur, Plinio* XXXIII,

atque horridus, vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, insatiabilis, impotens, semperque inquietus. hic per publicanos, aliosque in Africa negotiantes, criminatus *Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis cupiditatem*, effecit, ut cum, commeatu petito, Romam venisset, consul crearetur, bellique paene patrati a Metello, qui bis Iugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, [1] et meritum ipsi virtute cognomen *Numidici* inditum. Ut paullo ante Domitiae familiae, ita Caeciliae notanda claritudo est. quippe intra XII ferme annos huius temporis Coss. fuere Metelli, aut censores, aut triumpharunt, amplius XII; ut appareat, quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium, nunc florere fortunam,
12 nunc senescere, nunc interire. At C. Marius L. Sullam, [2] iam tunc, ut praecaventibus fatis, copu-

11 arator Arpinas *nominatur; unde Vossius* agresti, *Heins.* rurastri *coniiciunt pro* equestri; *quod non mutandum censemus. Fuere et alii ex ordine equestri homines novi, ante obscuri, quos noster tangit c.* 128. *hinc et publicanos habuit sibi faventes.*

1. *Vulg.* et meritum; virtutique cogn. *inepte. Nostrum verius videbitur* ex I, 13, II, 5, 15 *et* 19. *Viro, non virtuti, cognomen inditur, quod Grunerus videre debuit.*

2. *Suspecta videntur sqq.*

latum sibi quaestorem habuit, et per eum missum ad regem Bocchum, Iugurtha rege, abhinc annos ferme CXXXVIII, potitus est. designatusque iterum consul in urbem reversus, secundi consulatus initio Calend. Ian. eum in triumpho duxit. Effusa, ut praediximus [1], immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Caepionem Manliumque [2] Coss. et ante Carbonem Silanumque fudissent, fugassentque in Galliis, et exuissent exercitu; Scaurumque Aurelium [3] Consularem, et alios celeberrimi nominis viros trucidassent; populus R. non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quam Marium, est ratus. Tum multiplicati consulatus eius. Tertius in apparatu belli consumtus: quo anno Cn. Domitius Trib. pleb. legem tulit, *ut sacerdotes*, quos antea collegae sufficiebant, *populus crearet.* Quarto,

Lipsio qui coniicit iam tunc patriae caventibus fatis. *Heinsius tentabat* — praevaricantibus fatis. *Sed uti non admittimus ingenium Heinsii, ita neque in Lipsiana intelligimus, quomodo fata iam tunc praecavisse dicantur patriae, a Mario et Sulla primum servatae, tandem afflictae. Varia quidem et nobis in mentem veniunt, sed quae non satisfaciant. Forsan* — iam tunc (*h. e. ex illo ipso tempore*) inclutum praecellentibus factis.

1. *Supra c.* 8.

2. *Sic Rhen. Alii* consulem, *quod Caepio proconsul fuit.*

3. *Sic Manut. corrigit ex Oros.* V, 16; *ex Liv. epit.* 67. *Alii* Cos.

trans Alpes circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit, amplius CL millibus hoſtium priore ac poſtero die ab eo trucidatis: genſque exciſa Teutonum. Quinto, citra Alpes in Campis, quibus nomen erat Raudiis [1], ipſe Cos. et Procos. Q. Lutatius Catulus fortunatiſſimo decertavere proelio: caeſa aut capta amplius C millia hominum. Hac victoria videtur meruiſſe Marius, ne eius nati rempublicam poeniteret, ac bona malis repenſaſſe. Sextus conſulatus veluti praemium ei meritorum datus. Non tamen huius conſulatus fraudetur gloria: quo Servilii Glauciae, Saturninique Apuleii furorem, continuatis honoribus rempublicam lacerantium, et gladiis quoque et caede comitia diſcutientium, conſul armis compeſcuit, hominesque exitiabiles in Hoſtilia curia morte multavit.
13 Deinde interiectis paucis annis tribunatum iniit M. Livius Druſus [2], vir nobiliſſimus, eloquentiſſimus, ſanctiſſimus, meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna, uſus. qui cum ſenatui priſcum reſtituere cuperet decus,

1. *Ad Seſſitem fl. prope Vercellas*, *Plut. in Mar.* III, 3 *Aurel. Vict. in Mar.*

2. *Laudatur Velleio, in gratiam Tiberii, cuius mater Livia genus a Liviis ducebat. Val. Max. eum refert inter exempla ſuperbiae et impotentiae. Aurelio Vict.* c. 66 *dicitur* genere et eloquentia magnus, ſed ambitioſus et ſuperbus; *ſed et cf. Flor. III*, 17. *Liv. epit.* 71. *Sall. ep.* 2 *de ord. rep. c.* 6.

et iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros saevissent, tum P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis aevi optimum[1], interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverant) in iis ipsis, quae pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium: non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandae illiciendaeque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis maiora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta collegarum, quam eius optime ab ipso cogitata, Senatus probaret magis; et honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret, iniurias, quae ab aliis intendebantur, aequo animo reciperet; et huius summae gloriae invideret, illorum modicam ferret. Tum 14
conversus Drusi animus, quando bene coepta male cedebant, ad dandam civitatem Italiae. quod cum moliens revertisset e foro, immensa illa et incondita, quae eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suae cultello percussus[2],

1. *Cotta ap. Cic. de nat. D.* III, 32. cur avunculus meus, vir innocentissimus idemque doctissimus, P. Rutilius, in exsilio est?

2. *Percussorem nominat Cic. de N. D.* III, 35. Q. Varium, hominem importunissimum, *qui dein supplicio periit.*

qui adfixus lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit. Sed cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium moerentiumque frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiae suae: *Ecquandone*, inquit, *propinqui amicique, similem mei civem habebit respublica?* Hunc finem clarissimus iuvenis vitae habuit: cuius morum minime omittatur argumentum. Cum aedificaret domum in Palatio in eo loco, ubi est, quae quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennae est; promitteretque ei architectus, *ita se eam aedificaturum, ut libera a conspectu, immunisque ab omnibus arbitris esset* [[1] *neque quisquam in eam despicere posset*]: *Tu vero*, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perspici possit.* In legibus Gracchi [2] inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit [3]. id maiores (cum viderent tanto

1. *Gruter. verba* lib. a consp. *ut interpretamentum sqq.* immunis ab *etc. tolli volebat; sed Rhenan. legit* immunisque, *quod rec. Burm. et Gruner. Idem Rhen. ediderat* ab omn. hominibus, *pro quo Burer. ex* MS. *repetit* arbitris. *Sed tandem redundant verba* neque posset, *quae Boxhorn. pro glossemate habet, frustra obnitente Voss. Igitur cum Grunero uncinis includimus.*

2. *Quarum nonnullas Drusus retulit, monente Puteano. Sed noster earum invidiam a Druso ad primum auctorem transmovere cupit.*

3. *Arcanum enim fuit imperii Rom. quo coloniae extra Italiam non deducendae essent.*

potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Phocaea, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Bysantium Mileto, genitali solo) diligenter vitaverant, [1] ut cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint. Prima autem extra Italiam colonia *Carthago* condita est [2]. Mors Drusi iam pridem tumescens bellum excitavit Italicum [3]. quippe L. Caesare, et P. Rutilio Coss. abhinc annos CXX, universa Italia, cum id malum ab Asculanis ortum esset, (quippe [4] Servilium praetorem, Fonteiumque legatum occiderant) ac deinde a Marsis exceptum in omnes penetrasset regiones, arma adversus Romanos cepit. Quorum [5] ut fortuna atrox, ita causa fuit iustissima. petebant enim eam civitatem, cuius imperium armis tuebantur: *per omnes annos atque omnia bella, duplici numero se militum equitum-*

1. *Acid. mavult* et-revocaverant. *Burm.* ut et.

2. *Huc referas; quod noster in Notitia coloniarum c.* 15 *de prima extra Italiam colonia, Carthagine se praedixisse ait.*

3. *Originem huius belli exponit Appian. Alex. de bello civ. L. I, p.* 632 *sq. ipsumque bellum dictum sociale enarrant Flor. III,* 18. *Liv. epit.* 72. *Eutrop. V,* 3 *Plin. XXXII,* 1 *etc. Strabo L. V bellum Marsicum vocat, uti et noster dein cap.* 29.

4. *Al. inde a Rhen.* Servium; *quod pridem bene correxit Ald. Man. ex Liv. epit.* 72 *et App.*

5. *Int. Asculanorum, Marsorum, ceterorumque sociorum. Burm. vero mutat frustra* quorum *in* sociorum.

que fungi, neque in eius civitatis ius recipi, quae per eos in id ipsum pervenisset fastigium, per quod homines eiusdem et gentis et sanguinis, ut externos alienosque, fastidire posset. Id bellum amplius CCC millia iuventutis Italicae abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cn. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius, de quo praediximus, L. Sulla anno ante praetura functus, Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen *Pii* consecutus erat. quippe expulsum civitate a L. Saturnino, tribuno plebis, quod solus in leges eius iurare noluerat, pietate sua, auctoritate Senatus, consensu [1] Pop. Romani, restituit patrem. nec triumphis honoribusque, quam aut causa exilii aut exilio aut reditu, clarior fuit Nu-

16 midicus. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, [2] Silo Popaedius, Herius Asinius, [3] Vettius

1. *Sequimur Man. Vulg.* reip. *Nostrum in* MS. *scribebatur* P. R. *hoc vero* R. P. *Inde error. Distinctus a Senatu Pop. Rom. non resp. Alia ratio est ap. Cic. ad fam.* I, 9, 39. universa resp. duce Senatu. *Reip. dux Senatus non ab ipsa separatur.*

2. *Ita Rhen. edidit et Liv. ep.* XXXVI *habet: Appiano dicitur* Quintus Popedius, *Straboni* Pompedius, *quod Voss. mavult, Diod. Sic.* Q. Pompedius. *Colligas vero, plenius nomen esse* Q. Popedius Silo.

3 *Vulg.* Insteius Cato. *Ursin. ex Cic. Phil.* XII, 11 *legit* Vettius Cato. *Voss. suspicatur* Insteius Capito, *quod nomen recentioris hominis legitur ap. Tac. Ann.* XIII, 39. *Sed nullus Capito inter-du-*

Scato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilus. Neque ego verecundia domestici sanguinis gloriae quidquam, dum verum refero, subtraham: quippe multum Minatii Magii, atavi mei Asculanensis, tribuendum est memoriae: qui nepos Decii Magii, Campanorum Principis, celeberrimi et fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem praestitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, [1] Cosamque occuparet. cuius de virtutibus cum alii, tum maxime dilucideque Q. Hortensius [2] in Annalibus suis retulit. [3] cuius pietati plenam populus R. gratiam retulit; ipsum [4] virum civitate donando, duos filios eius creando

ces sociorum memoratur; tres vero Vettii. P. Vettius Cato (*l. potius* Scato) *dux Marsorum ap. Cic. l. c;* C. Vettius praetor Marsorum *ap. Sen. de benef. III,* 23, 6. T. Vettius *ap. Eutr.* V, 3. *Plura dat Freinsh. ad Flor. III,* 18 *et Voss. ad h. l.*

1. Cosam, *Etruriae coloniam, minus quam* Compsam *in Hirpinis, a quibus propius absunt Herculaneum et Pompeii in Campania, huc convenire cum Vossio an credas? cf. infra c.* 68.

2. *Cuius quoque meminit cum laude Cic. de orat. III et in Bruto. Noster vero curas secundas operi suo adhibens verba* cuius - retulit *interposuisse videtur.*

3. *Ed. pr.* cuius ille pietati; *in quo corrigendo minutam operam dant Critici. Nobis videntur literae transpositae ex* cui illius pietati.

4. *Vulg.* viritim, *quod*

praetores, cum seni adhuc crearentur. Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium [1] continuum duo Romani consules, Rutilius ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus P. R. multis in locis funderentur; utque ad saga iretur [2], diuque in eo habitu maneretur. Caput imperii sui Corfinium legerant, quod [3] appellarent *Italicam.* Paulatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectae sunt: Pompeio Sullaque et Mario fluentem procumbentemque [4] rempublicam Populi Romani restituenti-

h. l. idem esse volunt ac seorsim, *et eo trahunt Eutrop.* IX, 25 *extr. de Diocletiano eiusque genero Caes. Gal. Maxim.* Varia deinceps et simul, et viritim (*h. e.* singuli) bella gesserunt. *Lips. olim coniecerat* Quiritium, *quod nihili est; unde et ipse destitit.*

1. *Ed. princ.* continuo.

2. *Id vero factum more Romano, quo in tumultu ad saga iri decernebatur, cf. Cic. Phil. VIII,* 11 - cum est in sagis civitas - in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione reip. *Solis consularibus tum licebat retinere togam. Vestium haec mutatio differebat ab illa, qua luctus causa sordidae vestes sumebantur.*

3. *Lectio dubia. Burer. Voss. cet. maluere* appellarunt *et vulg. legunt* Italicum, *quod e Strabone L.V, p.* 241 *correximus. Is enim* Κορφίνιον τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν - μετονομασθεῖσαν Ἰταλικήν. *Sed. ed. Rhen. praeterea habet:* legerantque *Italicani. An?* cui *Italica* nomen. *cf. Liv. ep.* 72 *et* 74.

4. *Cod.* MS. *teste Burer. habet* remp. P. R. *neque igi-*

bus. Finito ex maxima parte, nisi [1] qua Nolani belli manebant reliquiae, Italico bello (quo quidem Romani victis adflictisque ipsi exarmati [2], quam integris universis civitatem dare maluerunt) consulatum inierunt Q. Pompeius, et L. Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest [3]. Hic natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cum familiae eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur. deinde post praeturam illustratus bello Italico, et ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumsit, petensque consulatum, paene omnium civium suffragiis factus est [4]. sed eum honorem undequinquagesimo [5] aetatis suae 17

tur voces Pop. Rom. *in edd. omitti debuerunt. Similiter ista coniuncta ap. Liv.* XXII, 10 *Tac. Hist. III*, 72. *plura dat I. F. Gronov. in Obss.* L. IV, *c.* 14.

1. *Sic Vossius correxit. Rhen. dederat* quae. *Lips. volebat* quod.

2. *h. e. infirmati s. debilitati. neque sic tentanda est vox.*

3. *Similiter de eo Val. Max. IX*, 2.

4. *Int.* consul. *similem brevitatem notavit Grun. ex Aur. Vict.* 67, 3. *Gruter. tamen malebat* nactus est, *quod probat Voss. et rec. Boecl. ac Thysius. Sic et cap. sq.* Sulpicius - Mario - omnia imperia et omnes provincias concupiscenti addixit.

5. *Plut.* quinquagesimo.

18 anno adſecutus eſt. Per ea tempora Mithridates Ponticus rex, vir neque ſilendus neque dicendus ſine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, ſemper animo maximus, conſiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal; occupata Aſia, necatiſque in ea omnibus civibus Romanis [1]; (quos quidem eadem die atque hora, redditis civitatibus litteris ingenti cum pollicitatione praemiorum, interimi iuſſerat, quo tempore neque fortitudine adverſus Mithridatem, neque fide in Romanos quiſquam Rhodiis par fuit. horum fidem Mytilenaeorum perfidia illuminavit: qui M. Aquillium alioſque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas in unius Theophanis gratiam, poſtea a Pompeio reſtituta eſt) cum terribilis Italiae quoque videretur imminere, forte obvenit Sullae Aſia provincia. is, egreſſus urbe, cum circa Nolam moraretur (quippe ea urbs pertinaciſſime arma retinebat, exercituque Romano obſidebatur, velut poeniteret eius fidei, quam omnium ſanctiſſimam bello praeſtiterat Punico); P. Sulpicius, trib. pleb. diſertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi celeberrimus, cum antea rectiſſima voluntate apud populum maximam quaeſiſſet dignitatem, quaſi pigeret eum virtutum ſua-

1. *Val. Max.* IX, 2, 3 *dicit* LXXX millia civium Rom. *Sed Plut. in Sulla cap.* 48 *numerum adauget ad* CL *millia; Appian. al. de bello Mithr.* CLX *millia.*

rum, et bene consulta ei male cederent, subito pravus et praeceps, C. Mario post LXX annum omnia imperia et omnes provincias concupiscenti addixit [1], legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum. aliasque leges perniciosas et exitiabiles, neque tolerandas liberae civitati, tulit: quin etiam Q. Pompeii Cos. filium, eundemque Sullae generum, per emissarios factionis suae interfecit. Tum Sulla contracto exercitu ad urbem re- 19
diit, eamque armis occupavit: XII auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio et P. Sulpicio, urbe exturbavit, ac lege lata exules fecit. Sulpicium etiam adsecuti equites, in Laurentinis paludibus iugulavere; caputque eius erectum et ostentatum pro Rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum [2] annoque LXX, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricae, in quam se, fugiens consectantes Sullae equites, abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnensium iussu duumvirali perductus est. ad quem interficiendum missus cum gladio servus pub-

1. *Int. quasi licitanti, certe multa pollicenti.*

2. *Mavult Voss.* annumque, *uti priori cap. Plutarch. certe* ab eo die, quo profugerat annos natum *supra* LXX *dicit.*

licus natione [1] Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, [2] magno eiulatu, [3] exprimente indignationem casu tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere. Tum cives, ab hoste, misereri paulo ante principis viri, docti, instructum cum viatico collataque veste, in navem imposuerunt. at ille, adsecutus circa [4] insulam Aenariam filium, cursum in Africam direxit. inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginensium toleravit: cum Marius, aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter

1. Gallum *dicunt Liv. et App. Plut. in Mar.* Gallum natione vel Cimbrum. *Scil. Cimbrorum reliquiae in Gallia consederant.*

2. *Ed. Rhen. habet* cum *etc. quod a* MS. *abesse testatur Burer.*

3. *Ed. Rhen.* expromenti indign. casus t.v. *Ed. Gryph. et Steph. magis aberrat* Marium magno cum eiul. se prodentem, indignatione t. v. *Cicero quidem Parad. II* §. 2 Marium in adversis unum ex summis viris *dicit. Acid. volebat* expromens *l.* exprimens ind. casus *etc. Sed Gruter. retinet* expromenti *refertque ad* eiulatu, *quod probant Voss. et Gruner. proinde dedit* expromente. *Nobis durum videtur:* indignatio casus viri, *placetque, ut verior, Burmanni ratio; quam reddimus. Scil. casus viri expressit indignationem, quae in eiulatum eruperat.*

4. *Ed. Rhen.* Taenariam. *Bene suspicante Grunero, fuerit* circa I Aenariam; *unde rescribimus* insulam. *Dicta autem fuit Homero Catal. nav. v.* 224 Inarime; *aliis* Pithecusa; *hodie* Ischa, *in sinu Cumano.*

alteri poſſent eſſe ſolatio. Hoc primum anno, 20
ſanguine Cos. Romani, militis imbutae manus ſunt. quippe Pompeius collega Sullae, ab exercitu Cn. Pompeii proconſulis, ſeditione, ſed quam dux creaverat, interfectus eſt. Non erat Mario, Sulpicioque Cinna temperatior. itaque, cum ita civitas Italiae data eſſet, ut in octo tribus contribuerentur novi cives; ne potentia eorum et multitudo veterum civium dignitatem frangeret, pluſque poſſent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Cinna, in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum, pollicitus eſt. quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in urbem acciverat. e qua pulſus collegae optimatiumque viribus, cum in Campaniam tenderet, ex auctoritate ſenatus conſulatus ei abrogatus eſt, ſuffectuſque in eius locum L. Cornelius Merula flamen Dialis. haec iniuria homine, quam exemplo dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam, ſpe largitionis, militibus, ab exercitu, qui circa Nolam erat, receptus eſt. is cum univerſus in verba eius iuraſſet, retinens inſignia conſulatus, patriae bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium: e quorum delectu CCC amplius cohortes conſcripſerat, ac triginta legionum inſtar impleverat. Opus erat partibus auctoritate, gratia: cuius augendae [1], C. Marium cum filio de exilio revocavit,

1. *Int.* ergo.

21 quique cum iis pulsi erant. Dum bellum autem infert patriae Cinna, Cn. Pompeius Magni pater (cuius praeclara opera bello Marsico praecipue circa Picenum agrum, ut praescripsimus [1], usa erat respublica; quique Asculum ceperat. circa quam urbem, cum in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, V et LXX millia civium Romanorum, amplius LX millia Italicorum una die conflixerant) frustratus spe continuandi consulatus, ita se dubium mediumque partibus praestitit, ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusque insidiari videretur, et huc atque illuc, unde spes maior [2] affulsisset potentiae, se exercitumque deflecteret. sed ad ultimum magno atrocique proelio cum Cinna conflixit: cuius commissi patratique sub ipsis moenibus [3] oculisque urbis Romanae, pugnantibus spectantibusque quam fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi potest. Post hoc, cum utrumque exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia, Cn. Pompeius decessit [4]. cuius interitus voluptas, amissorum aut gladio aut morbo civium paene

1. *Supra c. 15 et 16.*

2. *Sic Cuspinianus, qui hunc locum citat, et Ald. legebant, quod et placet Raphelengio, Grut. Boxh. Burm. et Grunero. Vulg.* adfuisset.

3. *Ita Lips. bene corr. pro* sociisque. *Simile laudat Burm. ex c.* 84 in ore atque oculis classis. *Qui aliter tentant, ineptiunt.*

3. *Appian. Plut. et Oros. fulmine ictum dicunt.*

damno repensata est: populusque R. quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duae seu tres Pompeiorum fuere familiae, primus eius nominis, ante annos [1] fere CLXVIIII, Q. Pompeius cum Cn. Servilio consul fuit. Cinna et Marius, haud incruentis utrimque certaminibus editis, urbem occupaverunt: sed prior ingressus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit. Mox C. Ma- 22
rius pestifero civibus suis reditu intravit moenia. nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta: neque licentia in mediocres saevitum, sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. in iis Cos. Octavius, vir lenissimi animi, iussu Cinnae interfectus est. Merula autem, qui se sub adventum Cinnae [2] consulatu abdicaverat, incisis venis superfusoque altaribus sanguine, quos saepe pro salute reipublicae flamen Dialis precatus erat deos, eos in execrationem Cinnae partiumque eius tum precatus, optime de republica meritum spiritum reddidit. M. Antonius, princeps civitatis atque

1. *Al.* ferme. *Mox in* Ms. *esse* CLXVII *testatur Burer. An. quidem* V. C. *Varron.* 613 *Coss. fuere Pomp. et Servil. Hinc ad annum, quo noster scripsit hist. effluxere* CI.XX. *Nostrum vult Boecl.*

2. *Ita ediderunt sapienter Gryph. Marnesf. Steph. Schegk. Boecl. Thys. idque magis probat Voss. quam quod Lips. et Blanckard. dederunt* consulis.

eloquentiae, gladiis militum, quos ipſos facundia ſua moratus erat, iuſſu Marii Cinnaeque confoſſus eſt. Q. Catulus et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quae illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco nuper calce arenaque [1] perpolito: illatoque igni, qui vim odoris excitaret, ſimul exitiali hauſto ſpiritu, ſimul incluſo ſuo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant praecipitia in republica: nec tamen adhuc quiſquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere ſuſtineret. poſtea id quoque acceſſit, ut ſaevitiae cauſam avaritia praeberet [2], et modus culpae ex pecuniae modo conſtitueretur; et qui fuiſſet locuples, fieret nocens; [3] ſui quiſque periculi merces; nec quidquam vi-

1. *Lipſ. fruſtra tentabat* perlito. *Verbi enim* polio *uſus proprius eſt operis albarii et tectorii, cf. Vitruv.* *VII*, 2, 3, 4 *et quos Grun. excitat; Colum. de R. R. L.* VIII, *c.* 8 *Varro de R. R.* *III*, 2. *Quod ad ipſum attinet mortis genus, Flor.* *III*, 21, 16 Catulus ſe, ignis hauſtu, ludibrio hoſtium exemit.

2. *Flor. III*, 21 *de Mario:* itaque vi patriam repoſcens, unde vi fuerat expulſus, poterat videri iure agere, niſi cauſam ſuam ſaevitia corrumperet.

3. *Vulg.* ſuique; *quod eſt ab Acid. Sed et habent Rhenan. et Blankard. Tum verbum* foret *quod vulg. additum legitur poſt* merces, *Lipſio auctore, tanquam gloſſema delemus. Sic prodit appoſitio. Ceterum noſter*

deretur turpe, quod esset quaestuosum. Secun- 23
dum deinde consulatum Cinna, et septimum Marius in priorum dedecus iniit. cuius initio morbo oppressus decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus. In huius locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimae legis auctor, qua *creditoribus quadrantem solvi* iusserat: cuius facti merita eum poena intra biennium consecuta est. Dominante in Italia Cinna, maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit. Sulla interim cum Mithridatis praefectis, circa Athenas Boeotiamque et Macedoniam ita dimicavit, ut et Athenas reciperet, et plurimo circa multiplices Piraeei portus munitiones labore expleto, amplius CC millia hostium interficeret, nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenae oppugnatae a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, [1] nimium veri vetustatisque ignarus est. adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quicquid *sincera fide* gereretur, id Romani, *Attica* fieri, praedicarent. Ceterum tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimae conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis: et animos extra moenia; corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Transgres-

infra c. 28 *eundem in modum* fieretque quisque merces mortis suae.

1. *Al.* nimirum.

ſus deinde in Aſiam Sulla, parentem [1] ante omnia ſupplicemque Mithridatem invenit. quem multatum pecunia ac parte navium, Aſia omnibuſque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit: captivos recepit; in perfugas noxioſque animadvertit: paternis, id eſt Ponticis finibus con-
24 tentum eſſe iuſſit. C. Flavius Fimbria, qui praefectus equitum ante adventum Sullae, Valerium Flaccum conſularem virum interfecerat, exercituque occupato *Imperator* appellatus, [2] forte Mithridatem pepulerat proelio, ſub adventum Sullae ſe ipſe interemit; adoleſcens, quae peſſime auſus erat, fortiter executus. Eodem anno P. Laenas trib. pleb. Sex. Lucilium [3], qui priore anno trib. pleb. fuerat, ſaxo Tarpeio deiecit: et cum collegae eius, quibus diem dixerat, metu ad Sullam profugiſſent, aqua ignique iis interdixit. Tum Sulla, compoſitis tranſmarinis rebus, cum ad eum, primum omnium Romanorum, legati Parthorum veniſſent, et in iis quidam magi ex notis corporis reſpondiſſent,

1. *Acid. mavult* in omnia; *c.* 97 *princ.*

2. *Lipſio ſuſpectum; neque tamen cum eo tentes,* forti. *Noſtrum defendit* Voſſ. *ut ſit: non tam virtute quam forte, quae proelia regit. Sed* MS. *habet* ponte.

3. *Alius videtur caſus* Sexti Licinii *ſenatoris, quem Marius eodem die, quo magiſtratum iniit, de ſaxo deiici iuſſit, teſte Liv. epit.* 80 *et Plut. in Mar. niſi anachroniſmum biennii a* Velleio *admiſſum cum* Voſſ. *ſuſpiceris.*

coeleſtem [1] *eius vitam et memoriam futuram*, revectus in Italiam, haud plura quam XXX armatorum millia adverſum CC amplius hoſtium expoſuit Brundiſii. Vix quidquam in Sullae operibus clarius duxerim, quam quod, cum per triennium Cinnanae Marianaeque partes Italiam obſiderent; neque illaturum ſe bellum iis diſſimulavit; nec, quod erat in manibus, omiſit; exiſtimavitque ante frangendum hoſtem, quam ulciſcendum civem; repulſoque externo metu, ubi quod alienum eſſet viciſſet, [2] ſuperaret quod erat domeſticum. Ante adventum L. Sullae, Cinna ſeditione orta ab exercitu interemtus eſt: vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum. de quo

1. *h. e. in qua Dii omnem poteſtatem ſuam oſtenderent. Sic infra c.* 66 Ciceronis caeleſtiſſimum os et clariſſimum caput *dicit etc.* 64 *plenius*: fulgentiſſimum et coeleſte os. *haud igitur cum Lipſ. tentes* celebrem. *Coeleſtia ſunt, quae ſupra humana. Inde Ovidio Triſt.* I, 3 *Auguſtus dicitur* vir caeleſtis; *ac Neronis* vox caeleſtis *dicta*, *Suet. Ner.* 21 *et Tac. Ann.* XVI, 22. *Sed et Clinia ap. Ter. Heaut.* (*nobis*) *Act.* III, 7, (*aliis*) IV, 3, 15 Deorum vitam *ſe* aptum *eſſe praedicat.*

2. *Cave tentes cum Urſino* ſuperare *pro* ſuperandum *l. cum Grutero* ſuperavit. *Habet vero* ſuperaret; *quod pariter pendet ab illo* quod, *vim quandam futuri. Priora recte ut praeterita enunciavit; ſed hoc non tam laudat victoriam reportatam, quam quod - ſuperare vellet.*

vere dici potest, ausum eum quae nemo auderet bonus, perfecisse quae a nullo nisi fortissimo perfici possent; et fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virum. Carbo, nullo suffecto
25 collega, solus toto anno cos. fuit. Putares, Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque, cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, urbium, perduxit in Campaniam; tentavitque iustis legibus et aequis conditionibus bellum componere. sed iis, quibus et pessima et immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Sullae exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque et sanissimo [1]. Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque coss. superat: quorum Norbanus, acie victus; Scipio, ab exercitu suo desertus ac proditus, inviolatus a Sulla dimissus est. adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum [2] vinceret, iustissimo lenior; post victo-

1. *h. e. qui cum rep. faceret ; cf. Cicero ad fam.* XII, 10, 1.

2. *Vulg.* ut dum vincit. *Ratio latina postulat* vinceret, *quod iam vidit Rhen. Is vero cum edidisset,* ut dum vincit ac iustissimo lenior, *in margine adscripsit: Alias* mitissimo ac iustissimo leniore. *pro* vincit ac, vinceret. *Turbas hasce ex* MS. *reddidisse videtur. Nos literas ac praecipue voculam loco motas scriptumque a Velleio putamus,* ut dum

riam audito fuerit crudelior. nam et consulem, ut praediximus, [1] exarmatum, Q. Sertorium, [2] proh quanti mox belli facem! et multos alios, [3] potitus eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum. [4] Post victoriam, quam dimicando

vinceret iusto remissior ac lenior, etc. *Sed ferunt alii, maxime Boecler.* Is iustissimo *h. e. clementissimo, quae vis vocabuli nota est. Placuit tamen et Lipsio* iusto lenior

1. *Vulg.* exarmatumque Sert. *Sed Scipio consul, non Sertorius exarmatus fuit, observante iam Vossio. Illud vero* que *ex praenomine* Q. Sertorii *ortum; cuius generis errorem haud semel admisit librarius.*

2. *Sic ed. Basil. teste Man. dedit; Vossiusque ex ed. pr. se emendasse praedicat, cum vulg. legeretur* propinquanti mox. *Hinc Sulla remissior visus Velleio, quod illum dimiserit incolumem. Scriptorum tamen nullus eum captum memorat.*

3 *Verba* potitus eorum *ad* multos alios *tantum referas.*

4. *Vulg. insane satis:* Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla. *quae dictio:* victoria cum aliquo concurrere? *tum Sulla sub amne Vulturnio cum C. Norb. congressus, ridicule de monte* descendens *concurrisse sumitur. Ed. vero princ. Rhen. corrupta priscae lectionis vestigia, quibus nostra lectio propior videtur, certe minus absona, haec exhibet:* Posuit victoriam qua demende s montem tifata cum C Norb. concurrerat. *Burm. inde facit:* Post victoriam, qua tenentes montem Tifatam Marium cum C. Norbano cos. fuderat Sulla, grates *etc. Sed ibi non Marius, sed solus*

ſub montem Tifata cum C. Norbano conſ. retulerat Sulla, grates Dianae, cuius numini regio illa ſacrata eſt, ſolvit; aquas ſalubritate medendiſque corporibus nobiles, et agros omnes addixit deae. huius gratae religionis memoriam et inſcriptio templi adfixa poſti hodieque, et tabula teſtatur aerea
26 intra aedem. Inde Coss. Carbo III, et C. Marius, ſepties conſulis filius, annos natus XXVI, vir animi magis quam aevi paterni [1], multa fortiterque molitus, neque uſquam inferior nomine conſulis, apud Sacriportum pulſus a Sulla acie, Praeneſte, quod ante natura praeſidiis firmaverat, ſe exercitumque contulit. Ne quid [2] umquam malis publicis deeſſet, in qua civitate ſemper virtutibus certatum erat, certabatur ſceleribus; optimuſque ſibi

Norban. fuſus eſt; de illo demum noſter cap. ſeq. loquitur. tum fruſtra ſumitur, utrumque ante tenuiſſe montem illum Capuae imminentem Tifata. Noſtrae lectioni favebit, qui notas ſcribendi priorum MSS. *librariis imperitis minus intellectas revocare doctus* quā demende (dimicando) *etc. et praep.* ſub *latuerit ſub nota* ſb. *Flor.* III, 21, 19 Primum ad Capuam ſub amne Vulturnio ſigna concurrunt. *Quam vulgata vocem habet* deſcendens, *eam ſatis inepte tranſtulit, quiſquis emendaverit, ex Liv.* VII, 29.

1 *h. e. iuvenis animoſus et ſaevus fuit imagine patris, ſed brevioris aevi: quippe fatum ipſi venit aevo primo, quod eſt adoleſcentiae.*

2. *Lipſ. Boecl. et Burm. malunt* uſquam.

videbatur, qui fuerat pessimus. quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus praetor [1] Domitium, Scaevolam etiam Pontificem maximum et divini humanique iuris auctorem celeberrimum, et C. Carbonem praetorium [2] consulis fratrem, et Antistium aedilitium, velut faventes Sullae partibus, in curia Hostilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiae filia, uxor Antistii: quae iugulato (ut praediximus) viro, gladio se [3] ipsa transfixit. [4] quantum huius gloriae, famaeque accessit! nunc virtute eminet, patria latet. At Pontius Telesinus dux Samnitium, vir [4] animi 27
bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, contractis circiter XL millibus fortissimae pertinacissimaeque in retinendis armis iuven-

1. *Addit Liv. epit.* 86 ex voluntate C. Marii consulis.

2. *Vulg. mendose* ipsam; *quod iam notatum a Vossio reliquerunt recentiores.*

3. *Locus vexatissimus, in quo restituendo Critici Acid. Heins. Pontan. Burm. Grun. et alii operam perdidere, partim inepti sunt; unde eorum somnia praetermittimus. An etiam nos inepte legimus?* Quantum hinc ei gloriae famaeque accessit, tantum virtute eminet; patria (*h. e.* paterna) latente. *Patris Calpurnii virtus, amissa uno scelere, quod se a Iugurtha corrumpi passus sit, latet oppressa; an* patrita *latebat? Patritus enim dici, ut avitus, hodie notum* ex Cic. Tuscul. 45. *c.* 10. *Sed ferimus et* quantum *pro* plurimum q. *ut alibi.*

4. *Sic melius ed. princ. quam vulg.* domi

tuis, Carbone ac Mario Coss. abhinc annos CXI, [1] Kalendis Novembribus, ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum discrimen et eum et rempublicam perduceret. quae non maius periculum adiit, Hannibalis intra tertium milliarium castra conspicata, quam eo die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansque *adesse Romanis ultimum diem*, vociferabatur *eruendam delendamque urbem*; adiiciens, *numquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa.* Post primam demum horam noctis et Romana acies respiravit, et hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis quam morientis vultum praeferens; cuius abscisum caput ferri gestarique circa Praeneste Sulla iussit. Tum demum desperatis rebus suis, C. Marius adolescens per cuniculos, qui miro opere fabricati in diversas agrorum partes ferunt, conatus erumpere, quum foramine e terra emersisset, a dispositis in id ipsum interemtus est. Sunt, qui sua manu; sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesino, una obsesso et erumpente, occubuisse prodiderint. utcumque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur eius memoria. De quo

1. *Lips. de Kal. die dubitat; atque in Kalendario Rom. ludi in memoriam eius victoriae instituti referuntur ad* VII *Kal. Nov.*

iuvene quid existimaverit Sulla, in promtu est. occiso enim demum eo, *Felicis* nomen adsumsit: quod quidem usurpasset iustissime, si eundem et vincendi et vivendi finem habuisset. Oppugnationi autem Praenestis ac Marii praefuerat Ofella Lucretius; qui cum ante Marianarum fuisset partium [1] fautor, ad Sullam transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria, qui sub [2] Idus Nov. nomine Sullanae victoriae celebrantur. Paulo ante quam Sulla ad Sa- 28
criportum dimicaret, magnificis praeliis partium eius viri hostium exercitum fuderant; duo Servilii

1. *Vulg.* praetor, *quod falsissimum a Velleio non est. Ipse enim Ofella teste Appian. Alex. de* B. C. L. I. *a Sulla occisus est, quod equestrem ordinem s. militiam nondum egressus, antequam quaesturam l.* praeturam *gessisset, invito Sulla se candidatum consulatus professus erat. Itaque ll nobiscum lege* fautor, *l. cum Vossio* proditor ad S. tr. *Illud tamen h. l. magis placet.*

2. *Vulg.* quibus sine nomine Syllanae victoriae celebrantur. *Absurdam lectionem, et quae eam secutae sunt, non minus absurdas emendationes reiicimus. Nostram ex vestigiis Cod.* MS. *elicimus. Ita enim teste Burer.* qui sub eius nomine Sull. vict. *cet. In vocula eius latet* Idus, *et* nov. *absumtum initio seq. vocis* nomine *h. e. causa; (sic infra c.* 104 eoque nomine decreta ei ornamenta triumphalia). *celebrabantur autem* ludi Victoriae *altera Iduum s.* VII *Id. Nov.*

apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam. Videbantur finita belli civilis mala, cum Sullae crudelitate aucta sunt. quippe dictator creatus (cuius honoris usurpatio per annos CXX intermissa. nam proximus post annum, quam Hannibal Italia excesserat: [1] uti appareat, populum R. usum dictatoris haud in metu desiderasse, sed in loco timuisse potestatem), imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis remp. usi erant, eo in immodicae crudelitatis licentiam usus est. Primus ille (et utinam ultimus!) exemplum proscriptionis invenit, ut, in qua civitate pe-

1. *Veriorem damus, ad vestigia* MS. *f. ed. pr. exactam, lectionem. Ea sc. fracte sic habet:* uti adpareat populum Ro. usum dictatoris aut metu desideras Tulio co timuisse potestatem imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi spolia musierunt eo *cet. Inde editores alia emendarunt, in aliis lapsi sunt, tum parenthesin ultra fines protulerunt; unde vulg. insana:* ut appareat, pop. R. usum dictatoris non tam desiderasse, quam timuisse potestatem imperii, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant) immodicae crudelitatis licentia usus est. *Cl. Ruhnkenius iam, quod referunt Nova liter. Lips. anni super. n. XXV, rectius finivit parenthesin, et quae eam sequuntur verba, quomodo damus, restituit; sed priora verba uncinis inclusa non aeque bene auguratus edidit:* uti app. pop. R. usum dictatoris haud ita in metu desiderasse, ut in ocio timuisse potestatem. *An vero* in otio timendus *erat dictator?*

tulantis convicii [1] iudicium histrioni exoleto redditur, in ea iugulati civis [2] Romani publice constitueretur auctoramentum; plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quam civis, uberius foret praemium; fieretque quisque merces mortis suae. Nec tamen in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes saevitum, adiectum etiam, *ut bona proscriptorum venirent: exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum bonorum iure prohiberentur: simulque*, quod indignissimum est, *senatorum filii et onera ordinis sustinerent et iura perderent.* Sub adventum in 29
Italiam L. Sullae, Cn. Pompeius, (eius Cn. Pompeii filius, quem magnificentissimas res in consulatu gessisse bello Marsico praediximus) XXIII annos natus, abhinc annos CXIII, privatis ut opibus ita consiliis magna ausus, magnificeque conata executus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriae, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat, contraxit ex-

1. *Vulgata haec haud satisfaciat. Ed. princ.* iudicium historiarum ex alto redditur. *Lips. ut verum edixit* iudicium in histrionem ex albo *scil.* XII *tabb. Sed nemo ipsum audiat. Grut. vulgatam exponit*, nimirum aures praebuisse iudices histrioni, et cives qualescunque castigasse quos constaret, histrionem aliquem petulantiore convicio notasse.

2. *Al.* reipublicae *male*,

ercitum. . cuius viri magnitudo multorum voluminum inſtar exigit: ſed operis modus paucis eum narrari iubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, ſtirpis ſenatoriae, forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, ſed ex dignitate conſtantiaque quae in illam conveniens amplitudinem [1] fortunamque, cum ad ultimum vitae comitata eſt diem; innocentia eximius, ſanctitate praecipuus, eloquentia medius; potentiae, quae honoris cauſa ad eum dcferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidiſſimus; dux bello peritiſſimus; civis in toga (niſi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modeſtiſſimus; amicitiarum tenax, in offenſis exorabilis, [2] in reconcilianda gratia fideliſſimus, in accipienda ſatisfactione faciliſſimus; potentia ſua numquam aut raro ad impotentiam uſus; paene omnium [3] vitiorum

1. MS. *et ed. pr.* fortunamque eius, ad ultimum *etc. Alii a* MS. *aliter recedunt. Manut.* ſed ex dign. et conſtantia quae in illam conveniens ampl. *etc. Lipſ.* ſed ex dignitate conſtanti quae in illam conveniens ampl. fortunamque, eum ad ult. *etc. Voſſ. et Boecl.* ſed ex dign. conſtanti, quae in illam conv. amplitudinem, fortunam quoque eius *etc. Sed rectius virtus dicitur* comitari Pompeium, *quam* dignitas formae fortunam.

2. *Lipſ. tentat* in reconciliata gr. fid. *Sed credas eum fuiſſe in reconcilianda gratia, cui maxime fides habenda fuerit. Neque enim ſimulavit.*

3. *Sic Manut. invenit ex* votorum, *applaudentibus omnibus.*

expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium, [1] indignari, quum omnes cives iure haberet pares, quemquam aequalem dignitate conspicere. Hic a toga virili adsuetus commilitio prudentissimi ducis, parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium [2] prudentia extulit; ita, ut a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius. Tum M. Perperna praetorius, e proscriptis, gentis clarioris, quam animi, Sertorium inter coenam [3] Etoscae interemit: Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam

1. *Malimus* indignatum *scil. esse Pompeium* — conspicere.

2. *Rhenanus edidit e* MS. prudentiae celeriora, et *cet. sed Burer. potius in eodem legit* prud. celerior, ita ut *cet. Vulgata autem iam ab Erasmo habet* prudentia excoluit, ut *cet. quod nobis haud probatur. Ingenium scil. artibus et disciplinis excolitur ad prudentiam; sed quis dicat ingenium exoli prudentia? Nobis quidem nostrum aptius videtur.*

3. *Manut. et Ortel. volunt* Oscae, *quam et post caedem Sertorii a Romanis in fidem receptam prodit Flor.* III, 22; *pariterque ex emend. Puteani ap. Strab. vitae finem habuisse legitur* ἐν Ὄσκῃ. *Sed Petr. de Marca ibi mavult* ἐν Ἰλεόσκῃ; *uti h. l.* Ileoscae, *quae* Ilerdae *vicina. Nihil definiendum, cum et sub hac voce adverbium aliquod latere possit. Ceterum de hac coena vid. fragm. ap. Sall. Hist.* III, *extr. Liv. epit.* 96.

mortem pessimo auctoravit facinore. Metellus et Pompeius ex Hispanis triumphaverunt: sed Pompeius hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem quam consulatum iniret, curru urbem invectus est. Quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in summum fastigium vectum, iniquo tulisse animo, C. Caesaris in altero consulatu petendo, Senatum populumque R. rationem habere? adeo familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; et invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere. Hoc consulatu Pompeius tribunitiam potestatem restituit, cuius Sulla imaginem [1] inanem reliquerat. Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, LXIV fugitivi e ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere; mox crescente in dies multitudine, gravibus variisque [2] casibus affecere Italiam. quo-

1. MS. *et ex eo Rhenan. eumque secuti* in iure, *pro quo alii* sine re, *alii* sine iure. *Nostrum aptius videtur et ductibus vocis corruptae respondet. Suet. Caes.* 5 auctores restituendae potestatis tribunitiae, cuius vim Sulla deminuerat, enixissime iuvit. Lege enim lata, ne quis post tribunatum ullius honoris capax esset, effecit, ut nemo ad maiora adspirans illum appeteret.

2. *Duker ad Flor.* II, 18, 2 *mavult* cladibus. *Flor. ibi de Numantia* — exercitum — perculit pudendisque foederibus affecit. *Si vim verbo*

rum numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo
dimicavere acie, [1] XL millia hominum se Romano
exercitui opposuerint. Huius patrati gloria penes
M. Crassum fuit, [2] mox Reip. omnium principem.
Converterat Cn. Pompeii persona totum in se ter- 31
rarum orbem, et [3] per omnia maiore vi habeba-
tur. qui cum Cos. perquam laudabiliter iurasset,
se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum,
idque servasset; post biennium A. Gabinius tribu-

afficere *subditam reputes, feras et h. l. vulgatam*, affecere *h. e.* labefactarunt, fregerunt Italiam, per varios casus. *Scil. non tam vis ista multitudinis, quam fortuna Reip. adversa casus invexit graves.*

1. *In hoc numero variant scriptores. Appian.* CXX millia *dicit; Eutrop.* LX millia; *Liv. in epit.* 97 *primum* XXXV millia cum duce suo Granico, *dein* XL millia cum duce Spartaco caesos a Crasso *refert. unde Voss. medium numerum* XC millia *legi vult; quod placet.*

2. *Sic ex* MS. *ed. Rhen. reddiditque Grun. Manut. corrigebat* mox Romanorum o. p. *quod et Lipsii et Thysii edd. secuti sunt. Nos malumus* Reip. socium principem; *cf. c* 44.

3. *Sic ex* MS. *Rhen. neque id tentari debuit ab editoribus, quorum alii, ut Boecl. Thys. cet. ex Manut. coniectura dederunt* poene homine maior hab. *Nobis est* maior vis, *quae est a Diis; in qua Fortuna maximam potestatem suam ostendit; cui adeo nemo hominum resistere queat. unde noster in fine cap. dicit, homines in eo extraordinaria reformidasse. Sollemnis vero Latinis est ea notio, quam subiicimus* vi maiori, θεῶν βίᾳ.

nus legem tulit, ut cum belli more, non latrociniorum, orbem classibus [1], iam non furtivis expeditionibus, piratae terrerent, [2] quasdamque etiam Italiae urbes diripuissent, Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur; essetque ei imperium aequum in omnibus provinciis cum proconsulibus, usque ad quinquagesimum milliarium a mari. quo [3] S. C. paene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur: [4] sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii praetura decretum erat. Sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat. in Antonio [5] homines aequo animo passi erant: raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. contra in iis homines extraordinaria reformidant, qui ea suo arbitrio aut deposi-

1 *Divortium alii faciunt*, classibus iam, non f. *Nos sequimur Rhenan. Lips. et Burm. qui connubium particularum probat ex Quintil.* VI *prooem. et Ovid. Art. am.* 2, 93.

2. *Sic Rhen. alii absciso* que *dedere* quasdam.

3. *Cuiacius cum edixisset* plebiscito, *Schegk. lenius correxit* scito. *Sed Voss. vulg. defendit, scil. ex* Plebiscito Sctum *perscriptum esse, quo decerneretur Pompeio, uti antea M. Antonio, imperium maris, quod Cic. in Verrem* II, 3 *et Lactant. Inst.* I, 11 infinitum *dixere. cf. Ascon. Pedian. in Cic. Verr. l. c.*

4 *Grutero voces* sed tamen *delenda videntur: Vossio non. Nobis placeret* tamen etsi - erat: sed *cet. Sed vulgatum feramus, si iungatur prioribus.*

5 *Qui Triumviri pater fuit.*

turi aut retenturi videntur, et modum in voluntate habent. Diſſuadebant optimates; ſed conſilia impetu victa ſunt. Digna eſt memoria Q. Catuli 32
cum auctoritas, tum verecundia: qui cum diſſuadens legem in concione dixiſſet, *eſſe quidem praeclarum virum Cn. Pompeium, ſed nimium* [1] *iam liberae reipublicae, neque omnia in uno reponenda:* adieciſſetque, *Si quid huic acciderit, quem in eius locum* [2] *ſubſtituitis?* ſucclamavit univerſa concio, *Te Q. Catule.* Tum ille victus conſenſu omnium, et tam honorifico civitatis teſtimonio e concione diſceſſit. Hic hominis verecundiam, populi iuſtitiam mirari libet: huius, quod non ultra contendit; plebis, quod diſſuadentem et adverſarium voluntatis ſuae vero teſtimonio fraudare noluit. (Per idem tempus [3] Cotta [4] iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui ad equites, Sulla ab illis ad

1. *Adeoque* formidoloſum r. p. *quod Tacitus illi iungit Agric.* 7.

2. *Sic Rhenan. Eraſm. et Steph. dedere; ſed Lipſ. Boecl. Thyſ.* ſubſtituetis.

3. *Biennio ante Pompeio et Craſſo Coſſ. factum haud eurate huc infert Vell.*

4. L. *Aurelius Cotta, praetor, auctor legis Aureliae, qua iudicia communicata ſunt inter tres ordines, Senatum, equitem et tribunos aerarios, qui e plebe erant. Diligentius haec Manut. diſputat de L. L. Rom. exinde breviorem iudiciorum Rom. hiſtoriam excerptam legas in Steph. et Geſneri theſ. ſub voce* iudicium. *Ade vero etiam Tac. Annal.* XII, 60.

ſenatum tranſtulerant, aequaliter inter utrumque ordinem partitus eſt: [1] ut Roſcius lege ſua equitibus in theatro loca reſtituit [2]). At Cn. Pompeius, multis et praeclaris viris in id bellum adſumtis [3], deſcriptoque in omnes receſſus maris praeſidio navium, brevi, inexſuperabili manu, terrarum orbem liberavit; praedoneſque [4] per multa maria

1. *Rhen. edd.* ut Horoſcius; *graece* Ῥωσκιος; *unde illud H aſpirationis cauſa additum fuerit. Sed alii ex pleniori nomine viri* L. Roſcius Otho; *vel* L. Roſcius; *ut Man. vel* Otho Roſc. *ut Puteau. h. l. legi voluere. Denique illud* ut *praeter rem correxere in* et. *Nobis ed. principem proxime ſequentibus* ut *eſt* quomodo, ſicut.

2. *Eodem verbo in hac re bis utitur Cic. pro Mur. Lege vero Roſcia tantum cautum erat de ſedilibus in ſcena. Nero quoque conceſſit in Circo; cf. Tac. Ann.* XV, 32 *et Lipſ. ad eundem.*

3. *Scil. legatis et praefectis, quos Flor.* III, 6 *nominat* XIII.

4. *Ed. Rhen.* per multa a multis locis victos. *Additum dein (credimus a Manut.)* per multa proelia multis *cet. quod hodie vulgatum eſt. Lipſ. maluit* per multos multis l. *Gruter.* praedoneſque permultis locis victos. *Aliorum nugas praeterimus. Nos noſtrum repetimus ex ipſa forma belli, et Floro, qui dicit:* Sic per omnes aequoris portus, ſinus, latebras, promontoria, freta, peninſulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine incluſum et oppreſſum eſt. Ipſe Pompeius in originem fontemque belli Ciliciam verſus eſt *cet. et cf. Cic. pro L. Manil. c.* 11, *ubi is pariter coniungit denique* maria omnia tum univerſa, tum in

multis locis victos, circa Ciliciam claſſe adgreſſus fudit ac fugavit. et quo maturius bellum tam late diffuſum conficeret, reliquias eorum contractas, in urbibus, remotoque a mari loco, in certa ſede conſtituit [1]. Sunt qui [2] hoc carpant. ſed quamquam in auctore ſatis rationis eſt, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret [3]. data enim facultate ſine rapto vivendi, rapinis arcuit. Cum 33
eſſet in fine bellum piraticum, et L. Lucullus, qui ante ſeptem annos [4] ex Cos. ſortitus Aſiam, Mithridati oppoſitus erat, magnaſque ac memorabiles res ibi geſſerat, Mithridatem ſaepe multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria, Tigranem, regum maximum, in Armenia vicerat, ultimamque bello manum paene magis noluerat imponere,

ſingulis omnes ſinus atque portus *et c.* 12. Quis enim tam brevi tempore tot loca adire, tantos curſus conficere potuit *cet.*

1. *Ipſis ſcil. Solos Ciliciae urbem conceſſit, inde Pompeiopolim dictam.* Undequinquageſimo die, *Cic. inquit l. c.* totam ad imperium P. R. Ciliciam adiunxit.

2. *Sic Rhen. Gryph. edid. et Voſſ. maluit, quam quod fruſtra reſcriptum eſt ab aliis* hunc.

3. *h. e. quamvis Pompeii prudentia ac nomen ſatis pro ratione ſit, ea tamen ratio, qua ductus id fecit, ipſa talis eſt, ut quivis, qui ſimiliter feciſſet, magna in auctoritate eſſe mereretur.*

4. *Sic* MS. *Id legendum eſſe* ex conſulatu, *non ut alii* ex conſule, *probat Voſſ. ad h. l. et Geſn. in theſ. voce* ex *n.* 6 *et ſic legitur infra c.* 78 *extr.*

quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis, et bello paene invictus, pecuniae expellebatur [1] cupidine, idem bellum adhuc adminiſtraret; Manilius trib. pleb. ſemper venalis et alienae miniſter potentiae, legem tulit, *ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium adminiſtraretur.* Accepta ea, magniſque certatum inter imperatores iurgiis: cum Pompeius Lucullo [2] *infamiam pecuniae*, Lucullus Pompeio *interminatam cupiditatem* obiiceret *imperii*; neuterque ab eo, [3] qui arguebatur, mentitus argui poſſet. Nam neque Pompeius, ut primum ad rem publicam adgreſſus eſt, quemquam [4] animo parem tulit: et in quibus rebus primus eſſe debebat, ſolus eſſe cupiebat. ne-

1. *h. e. expugnabatur; neque opus erat, aliud verbum pro eo quaerere, niſi malis cum Heinſio* impellebatur *h. e. labefactabatur.*

2. *Lipſ. mavult* infamem *et refert ad* cupiditatem. *Ac ſane non* pecunia, *ſed eius* cupiditas *habet infamiam? Paulo ante Noſter dixerat* pecuniae cupidine.

3. *Rhen. dederat* quod; *a quo errore alii ad varios errores coniiciendo divertere. Male certe Boecl. recepit* quo *hodie vulgatum. Grut. verba* ab eo quod arg. *gloſſema putans brevius ſcribi voluit* neuterque mentitus argui poſſet; *ut accederet ad brevitatem Tac. hiſt.* I, 74 mox quaſi rixantes ſtupra et adulteria invicem obiectavere; neuter falſo.

4. *Lipſ. et Acid. malebant* omnino; *ſed ferendum putamus* animo *h. e. virtute. Notum vero illud Lucani* I, 125 *hic quivis revocet.*

que eo viro quisquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit: in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui [1] eos ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo; et quod cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. Et Lucullus, summus alioqui vir, profusae huius in aedificiis convictibusque [2] et apparatibus luxuriae primus auctor fuit. quem ob iniectas moles mari, et receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompeius *Xerxen togatum* vocare assueverat [3]. Per id tem- 34
pus a Q. Metello Creta insula in populi R. potestatem redacta est [4]. quae ducibus Panare et Lasthene, XXIV millibus iuvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat. Ne ab huius quidem [5] usura gloriae temperavit animum Cn. Pompeius, quin victoriae partem conaretur vindicare. Sed et Luculli et Metelli triumphum cum ipsorum singularis virtus;

1. Ut qui *h. l. idem ac* quippe qui.

2. Convictus *sunt convivia l. una epulantium conversatio.*

3. *Plut. in Lucullo id cognomen iocosum ei a Q. Aelio Tuberone, Stoico, inditum refert. Sed Plin.* IX, 54 *cum nostro facit.*

4 *Cf. Flor.* III, 7.

5. *Lectio haec Manut. debetur. Antea legebatur* usurae gloria. *Quidni vero traiiciamus* gloriae usura?

tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem. Per haec tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae, et ut vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur; consul, Sergii Catilinae Lentulique et Cethegi et aliorum utriusque ordinis virorum coniurationem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque [1] eripuit. Catilina metu consularis imperii urbe pulsus est: Lentulus consularis et praetor iterum, Cethegusque, et alii clari nominis viri, auctore Senatu, iussu consulis in carcere ne-
35 cati sunt. Ille Senatus dies, quo haec acta sunt, virtutem M. Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque praenitentem, [2] in altissimo luminavit.

1. *Sic certe* MS. *omnesque edd. ad Boecl. usque, qui primus substituit* aperuit; *quod minus placet, quam quod Lips. voluit;* eruit *cf. Liv. ep.* CII *et Flor.* IV, 1. *Sed forsan ferri debet prisca lectio, et exponi: egessit e rep. velut purgamentum. Tac. Ann.* XI, 32: vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur. *Ita Cicero* virtute *cet.* sua eripuit *(simul notat celeritatem)* coniurationem. *Simile quid voluit Manutius, addens* eripuit e rep.

2. *Et phrasis insolentior, et vox* luminare *(qua usi sunt Apuleius, Prudentius, Caelius Aurelianus, Arienus, aeneae aetatis scriptores, et Marc. Capella) indigna Velleio visa est viris doctis, Grutero, Boecl. Thysio et sqq. qui nescio an verius edidere* altissime illuminavit. *Verum satis poe-*

Hic genitus proavo M. Catone, principe illo familiae Porciae, homo Virtuti [1] consimillimus, et per omnia ingenio diis quam hominibus propior: qui numquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet [2] iustitiam; omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit. Hic trib. pleb. designatus, adhuc admodum adolescens, cum alii suaderent, *ut per municipia Lentulus coniuratique custodirentur*, paene inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus est in coniurationem, [3] et ardore oris orationem omnium lenita-

tice h. l. locutus videtur laudator noster ille - dies - in altissimo luminavit. *et quidni verbum hoc perinde toleretur, ut illud* umbrare *bonum est? Dies (instar Solis) in altissimo luminat terram meridie: ita figurate, dies ille - virtutem Catonis. Retinendam igitur lect.* MS. *censemus cum Voss.*

1. *Vulg.* simillimus; *sed Exempl. vet. teste Burer. habet* non simillimus, *quod mendum corrigimus, ut ineptis aliorum coniecturis locus adimatur.*

2. MS. iustitiae *forsan scil.* rationem.

3. *Vulg.* ut - fecerit, *quod tamen ed. princ. non agnoscit, sed habet* et - fecit, *quod bene se habet. Nolimus quidem sumere* tanta *vi animi*, atque *ingenii dici potuisse pro* tanta *v. a.* quanta *ing.* (*Ingenium erat prope divinum. Sic Plaut Amph.* I, 1, 287. Tam consimile est, atque ego. *Nepos in Milt.* 7 - totidem navibus, atque erat profectus. *Ter. Phorm.* V, 8, 39 - tali eum - atque hic est, infortunio.) *Sed*

tem suadentium societate consilii suspectam fecit; sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis et commutatione status publici pericula exposuit; ita [1] consulis virtutem amplificavit; ut universus senatus in eius sententiam transiret, animadvertendumque in eos, quos praediximus, censeret; maiorque pars ordinis eius Catonem prosequerentur domum. At Catilina non segnius [2] nota obiit, quam sceleris conandi consilia inierat: quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, praelio reddidit.

36 Consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno divus Augustus, abhinc annos LXXXII, omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem. Iam paene supervacaneum videri potest, eminentium ingenio-

nemo editorum seriem sequentium bene vidit recteque interpunxit, quam sic ex mente Velleii ordinamus - tanta vi - invectus est - et fecit ; sic - exposuit; ita - amplificavit; ut *cet.*

1. MS. *teste Burer.* consilis ; *unde Lipsius Boecl. Thys. Blanck. Burm. cett. nostrum dedere. Rhen. mendose ediderat* consilii, *quod frustra praefert Voss.*

2. *Sic* MS. *teste Burer. et int. quod sequitur* consilia. *Manifesta iam erant consilia sceleris. Nihilo minus fortiter ea obiit. Itaque caecutierunt editores, qui vocem istam vexarunt. Rhen. dederat* vota, *Man. vult* mortem obiit *l.* vita abiit, *Acid.* mota *l.* conata. *quod et Grutero visum. Schegk.* voto, *Lips. Boecl. Voss. retinendum censuere Rhen.* vota; *quod in vulg. abiit.*

rum notare tempora. quis enim ignorat diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium; [1] anteque Crassum, Catonem, Sulpicium; moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum, et proximum Ciceroni Caesarem; eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium aemulumque Thucydidis Sallustium: auctoresque carminum Varronem ac Lucretium, neque ullo in [2] suscepti operis sui carmine minorem Catullum. Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quae maxime nostri aevi eminent. princeps carminum Virgilius, Rabiriusque [3], et

1. *E* MS. *Rhen.* saneque, *idque vitiose visum; unde mox rescriptum, (nescimus an in II Rhen.)* senemque *Lipf. voluit* unaque; *quod certe falsum. Antecessere enim aetate Ciceronem, quos nominat, cf. supra cap. 9. Man. et Burm. deesse nomen oratoris putant l.* Antonium, *l.* Caesaremque Strabonem. *Plures sane indicare potuit Vell. quos ex ipso Cic. Quintil. cet. novimus. Sed an et quos voluerit, incertum. Nobis nil certius videtur, quam* anteque, *quo referatur dein* moxque. *Aetas ipsa hominum poscit hos gradus, quibus diremti sunt.*

2. *Ita correxit Lipf. quod legebatur ex* MS. suspecti; *quod Acid. et Voss. dictum esse cupiunt pro* suspiciendi.

3. *Quem Quintil.* X, 1, 90 *satis tenuiter post alios laudat:* Rabirius ac Pedo non indigni cognitione, si vacet. *Desiderarunt igitur viri docti alium, qui a Vell. nominatus fuerit, maxime* Horatium. *Sed hic idem, cui aetate sua non defuere invidi, maxime ob satyras, cf.* L. I, *Sat.* 4, *non opus habet iudicio Vell. quo prae-*

consecutus Sallustium Livius, Tibullusque et Naso,
perfectissimi in forma operis sui. nam vivorum [1] ut
37 magna admiratio, ita censura difficilis est. Dum
haec in urbe Italiaque geruntur, Cn. Pompeius memorabile adversus Mithridatem, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus vires reparaverat, bellum gessit. At rex fusus fugatusque et omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemque [2] socerum petit, [3] regem eius temporis, nisi [4] qua Luculli armis erat infractus, potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompeius, intravit Armeniam. prior filius Tigranis, sed discors patri, pervenit ad Pompeium: mox ipse supplex et praesens, se regnumque ditioni eius permisit, praefatus, *neminem alium, neque Romanum neque ullius gentis virum, futurum fuisse, cuius se [5] societati commissu-*

ferretur aliis. Ceterum pluribus et sapientius Quintil. Inst. X, I *ingenia istius aevi recenset.*

1. *Qui igitur, dum Vell. haec scriberet, superstites fuere, ab eo haud nominantur.*

2. *Historia iubente volunt* generum. *Sed Popma mavult Vell. erroris arguere.*

3. *Burm. mavult* regum.

4. *Sic Gruter. correxit, quod est e* MS. quia.

5. *Man. mavult* potestati, *poscente sic Latinitate: quod multis probatur; nisi sumere velis, Velleium pro ingenio talia captantem ex regis potentis ingenio ita dixisse, quasi is ad nullius viri societatem accedere voluisset, nisi Pompeii. Rex certe in societatem quamvis iniquam recipi cupiebat.*

rus foret, quam Cn. Pompeium: proinde omnem ſibi vel adverſam vel ſecundam, cuius auctor ille eſſet, fortunam tolerabilem futuram. non eſſe turpe ab eo vinci, quem vincere eſſet nefas: neque ei inhoneſte aliquem ſubmitti, quem fortuna ſuper omnes extuliſſet. Servatus regi honos imperii, ſed multato ingenti pecunia: quae omnis, ſicuti Pompeio moris erat, redacta in quaeſtoris poteſtatem, ac publicis deſcripta litteris. [1] Syria aliaeque, quas occupaverat, provinciae ereptae; et aliae reſtitutae populo R. aliae tum primum in eius poteſtatem redactae, ut Syria, quae facta eſt ſtipendiaria. finis imperii [2] regii terminatus Armenia.

NOTITIA GENTIVM AC NATIONVM IN FORMVLAM PROVINCIAE REDACTARVM INTERPOSITA.

38 Haud abſurdum videtur propoſiti operis regulae, paucis percurrere, quae cuiuſque ductu gens ac natio redacta in formulam provinciae, ſtipendia pacta ſit; [3] facilius ut, quae partibus notavi-

1. *Sequimur in ſqq. interpunctionem a Grunero in melius rectam. Tigrani nimirum ademit Pompeius Syriam, Phoeniciam, Ciliciam, Galatiam, (cf. Plut. in Pomp. Dio L. XXXVI et App. Al. de bello Mith.) ex quibus aliae P. R. reſtitutae, aliae tum primum redactae; et in his fuit Syria.*

2. *Al.* regis.

3. *Verbum, quod poſt* partibus *repoſuimus, in* MS. *ſ. ed. pr. praeponitur mendoſe prioribus, ſic:* notavimus facilius ut quae p. ſ. u. *cet. Scil. id procul dubio a*

mus [1], simul universa conspici possint. Primus in *Siciliam* traiecit exercitum [2], et provinciam eam, post annos ferme LII [3], captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius. primus *Africam* Regulus [4], nono ferme anno primi Punici belli: sed post [5] CIX annos P. Scipio Aemilianus, eruta Carthagine, abhinc an-

priore librario omissum, a correctore in margine additum, dein inepto loco in textum rediit. hinc Critici varias turbas nugasve dedere.

1. *h. e. quae particulatim observabimus, excerpsimus.*

2. *A. U. C.* 488 *ineunte bello Punico* I. *App. Claudius Caudex vicit Hieronem regem Siculorum et Carthaginienses Messana expulit. Sequimur vero aeram Catonianam, quam et secutus Velleius.*

3. *A. U. C.* 540 *Syracusae a Marcello expugnatae et Sicilia domita Liv.* XXV, 23 - 31 et XXVI, 21. *Iam quidem anno* 511 *Siculis arma ademta, tributa et portoria imposita; Sicilia facta provincia, in quam praetor cum imperio annuo mitteretur. Sed non prius debellatum fuit, quam post captas Syracusas, et occupatum a M. Valerio Laevino Agrigentum an.* 541 *cf. Livius* XXVI, 40.

4. *Consul suffectus Q. Caedicio A. U. C.* 497. *Deest vero h. l. verbum l. ex prioribus repetendum* in Afr. transiecit ex. *l.* Africam iniit Regulus.

5. *Vulg. permixte* CCIV *et mox* CLXXXII. *Urbs excisa quarto belli Punici* III *anno, iuxta Caton. A. U.*606. (*Varroniano autem* 608) *Sic a Reguli aditu in Afr. ad initium Punici* III *effluxissent fere* 105, *ad excidium Carth.* 109; *indeque ad Conf. Vinicii* 177 *l.* 179 *anni.*

nos CLXXVII Africam in formulam redegit provinciae. *Sardinia* inter primum et secundum bellum Punicum [1], ductu T. Manlii Cos. certum recepit imperii iugum. (Immane bellicae civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio consule, tertium Augusto principe, certae pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit.) In *Hispanias* primi omnium duxere exercitus Cn. et P. Scipiones, initio secundi belli Punici, abhinc annos CCL [2]. inde varie possessa, et saepe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est. *Macedoniam* Paullus [3], Mummius *Achaiam* [4], Fulvius Nobilior subegit *Aetoliam* [5]: *Asiam* L. Scipio Africani frater eripuit Antiocho [6]: sed beneficio Senatus populique R. mox ab Attalis possessam regibus, M. Perperna capto Aristonico fecit tributariam [7]. [8] *Cypro* devicta, nullis assignanda glo-

1. *An. scil.* 517.

2. *Quod incideret in an.* 531. *Sed cum demum post bellum Pun.* II *an.* 534 *coeptum an.* 537 *Scipiones profecti in Hisp. tradantur*, *Liv.* XXI, 60. *curatius numerando erunt* 244. *Numerus Velleii sit rotundus*, *nisi indiligentiae eum arguere malis.*

3. *A. U. C.* 581 *Perseo R. Mac. vincto*, *finis fuit imp. regii.*

4. *A. U. C.* 606 *Corinthus eversa a Mummio*, *cf. supra* I, 13.

5. *Anno* 563 *cf. Livius* XXXVIII.

6. *Eod. an.* 563.

7. *An.* 622.

8. *Sic corrupte ed. princ. Neque omnino vera videtur emendatio*, *quam Boecl. rec.* Cypri devictae nulli. *Mavult Voss.* Cypro de victa nulli.

ria eſt. quippe [1] Senatus conſulto, miniſterio Catonis, regis morte, quam [2] illi conſcientia acciverat, facta provincia eſt [3]. *Creta* Metelli ductu longiſſimae libertatis fine multata [4] eſt. *Syria Pontuſque* [5] Cn. Pompeii virtutis monumenta ſunt.

39 *Gallias* primum Domitio et Fabio nepote Paulli, qui *Allobrogicus* vocatus eſt, intratas cum exercitu [6], magna mox clade noſtra ſaepe et adfectavimus et amiſimus. ſed fulgentiſſimum C. Caeſaris opus in iis conſpicitur: quippe eius ductu auſpiciiſque infractae, paene idem, quod totus terrarum orbis, ignavum [7] conferunt ſtipendium. [8] Stipendiaria ab eodem facta *Numidia*. *Ciliciam* per-

1. *Vel potius* plebiſcito, *ut ipſe Vell. innuit infra* c. 45. *Sed ex plebiſcitis dein SCta ſcribebantur.*

2. *Sic Acid. rectius voluit pro vulg.* ille.

3. *A.* 695.

4. *A. U. C.* 686. *Addimus vero* eſt, *quod in* et *degeneraverat ſqq. praemiſſum.*

5. *Redacta fere ſub idem tempus.*

6. *An.* 630 *et* 631.

7. *h. e. quo vires auferebantur Gallis, ita ut dein paterentur imperium. Quale illud fuerit ſtipendium, colligi poteſt ex Tac. hiſt.* IV, 12 *p.* 294 *ed. Bip.* (*ubi iam ſic emendate legitur:* nec operibus Romanis ſocietateve alienorum [*h. e.* publicanorum] attriti) *et locis ibi collatis. Neque igitur accedimus iis, qui* ignavum *mutare cupiunt, ut legatur l.* in aerarium, *l.* in annos, *l.* ſignatum, *l.* gnavum, *l.* ignarum. *Abſurdiora haec poſtrema ſunt. Auctor vero noſter poetas ſequitur, maxime Ovidium, cui dicitur* dolor ignavus *ab effectu.*

8. *Abeſt in vulg.* ſtipen-

domuit Servilius, cum Isauros vicisset. post bellum Antiochi Vulso Manlius *Gallo-Graeciam* [1]. *Bithynia*, ut praediximus [2], testamento Nicomedis relicta hereditaria [3]. Divus Augustus praeter *Hispaniam* aliasque gentes, quarum titulis forum eius praenitet, paene idem, facta *Aegypto* stipendiaria, quantum pater eius Gallia, in aerarium reditus contulit. At Ti. Caesar, quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat [4] parens, parem *Illyriis*

diaria, *quam priori voce absorptam restituimus. Alias omissum credas* provincia *cf. Hirt. bell. Afr. c.* 97. *Sed fracta est in sqq. lectio* MS. *f. Rhenani* ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, visa vicisset post bellum Antiochinum Vulso M. *cet. Sic legebatur olim in edd. Lips. Sed Schegk. primum correxit* Numidia, *cetera editores inde a Boecl. sic dedere;* Ciliciam perdomuit Isauricus et post bellum Antiochicum Vulso *cet. Nos a vestigiis lectionis priscae, ex notis librariorum minus recte perceptis et verbis permixtis ortae, propius abesse nobis videmur, neque nobis obstat melior auctoritas. cf. Flor.* III, 6, 4. *Front* III, 7. *Eutr.* VI, 3. *Freinsh. suppl. Liv.* 95 *ad an.* 77.

1. *Eodem anno, quo Fulvius Nobilior Aetoliam; cf. Liv.* XXXVIII, 12 *sq. Flor.* II, 11.

2. *Supra c.* 4 *init.*

3. *An. U. C.* 677 *Nicomedes moriens P. R. fecit heredem; cf. Liv. epit.* L. XCIII.

4. *Interciderat haec vox ob similem seq.* parem. *Illud igitur restituendum fuit, hoc non omittendum, quod fecere Urs. et Lips. Nos cum Heinsio etiam hoc retinemus. Cantabri vero et Astures perdomiti an.* 735.

Dalmatisque extorsit [1]. *Rhaetiam* autem et *Vindelicos* ac *Noricos*, *Pannoniamque* et *Scordiscos*, novas imperio nostro subiunxit provincias [2]. ut has armis, ita auctoritate *Cappadociam* populo R. fecit stipendiariam [3]. Sed revertamur ad ordinem.

40 Secuta deinde Cn. Pompeii militia, gloriae laborisne maioris, incertum est. Penetratae cum victoria Media, [4] Albani, Hiberi; ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos, Heniochosque et Achaeos. et oppressus auspiciis Pompeii, insidiis filii Pharnacis, Mithridates [5], ultimus omnium iuris sui regum, praeter Parthicos. Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, suoque et civium voto maior, et per omnia fortunam hominis egressus, revertit in Italiam. Cuius reditum favorabilem opinio [6] fecerat. quippe plerique non sine

1. *An.* 741 *Augusti auspiciis; cf. Suet. Aug.* 21 *Tib.* 9. *Tac. ann.* VI, 37.

2. *Cf. Suet. Tib.* 9.

3. *Cf. Tac. Ann.* II, 42 *ad an.* 770.

4. *Hanc Rhenani lectionem* Albani, Hiberi *(int. nationes) quam Erasmus immutaverat in* Albania, Hiberia, *Voss. sine ratione immutatam dicit.*

5. *Mortem sibi conscivit a.* 689.

6 *Scil. timoris plena; quo cum ipse liberaret urbem dimisso exercitu, rediit cum favore omnium; uti ipse auctor explicat. Sic vero mittimus coniecturas Aldi, Lipsii, Popmae, quibus locum vexarunt.*

exercitu venturum in urbem, adfirmabant, et libertati publicae ſtatuturum arbitrio ſuo modum. Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior civilis tanti imperatoris reditus fuit. omni quippe Brundiſii dimiſſo exercitu, nihil praeter nomen imperatoris retinens, cum privato comitatu, quem ſemper illi vacare moris fuit, in urbem rediit: magnificentiſſimumque de tot regibus per biduum egit triumphum; longeque maiorem omni ante ſe illata pecunia in aerarium, praeter [1] quanta ſpolia, ex manubiis intulit. Abſente Cn. Pompeio, T. Ampius et T. Labienus tribuni pleb. legem tulerunt, ut in ludis Circenſibus corona [2] laurea et omni cultu

1. *Vulg. corrupte* praeterquam a Paullo ex m. *quaſi Paulli triumphus, de quo noſter dixit* I, 9 *extr. cum Pompeii triumpho conferretur. Sed Lipſ. pridem docuit, falſo id ſumi, cum pecunia a Pomp. illata Paullinam altera fere parte vicerit. Sed is ſecutus alios, qui pro* a Paullo *fecerunt* Capitolio, *ſcribenſque* maiore *pro* maiorem, *reprehenditur a Voſſio; quod eius ſententia neque clara ſit, neque aerarium, quod in aede Saturni fuit, a Capitolio diſtingui debeat. Nobis vero praeiverunt ad emendandum Plut. in Pomp. et Appian. Neque enim cum Voſſio, Burm. et Grunero verba iſta a ſciolo in margine appoſita, dein in textum illata credimus.* Quanta (*niſi malis* quam multa) *h. l. infinitum eſt, uti paſſim ap. ſcriptt. Propert* I. *El.* 5, 10. *Lact. inſt.* III, 19 *exeunte; ubi poſt* quanta-millia *ſignum rogandi tollendum videtur. cf. ſupra c.* 26 *extr. n.* 3.

2. *Sic Lipſ. ex Dione et more Romano correxit quod*

triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta coronaque laurea. id ille non plus quam semel (et hoc sane nimium fuit) usurpare sustinuit. Huius viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, ut primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet; et quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriae suae [1]. Numquam eminentia invidia carent. Itaque et Lucullus, memor tamen acceptae iniuriae, et Metellus Creticus, non iniuste querens (quippe ornamentum triumphi eius captivos duces Pompeius subduxerat), et cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus a Pompeio, aut bene meritis praemia, ad arbitrium eius persolverentur.

41 Secutus deinde est consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum iniicit, et quamlibet festinantem in se morari cogit [2]. hic nobilissima [3] Iuliorum ge-

antea erat aurea.

1. *Cic. pro Corn. Balbo c.* 4 *de Pomp. ait:* qui tot habet triumphos, quot orae sunt, partesque terrarum; *et c.* 6 cuius tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri. *pro P. Sextio cap.* 61 vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notavit. *Ter quidem et alii triumpharant. Ipse autem primum tribus triumphis totum quodammodo orbem triumphasse visus est. Ita de eo Plut. cf. et Dio L.* XXXVI.

2. *Quanto pulchrius Caesarem laudat Sallust. Cat. cap.* 54.

3. *Potius* antiquissima *dicere debuit. Sed se ipse cor-*

nitus familia, et quod inter omnes antiquissimos constabat [1], ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiae effusissimus, [2] animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus, qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur; cum fuisset C. Mario sanguine coniunctissimus [3], atque idem Cinnae gener (cuius filiam ut repudiaret, nullo [4] metu compelli potuit: cum M. Piso consularis Anniam, quae Cinnae uxor fuerat, in Sullae dimisisset gratiam), habuissetque

rigat, *si cum Acid. et Lips. mox legas:* et quod inter omnes constabat, antiquissima.

1. *Talia proferre historicum pudeat. Ipse tamen Caesar in laudatione amitae idem proferre non dubitavit*, *cf. Suet. Caes. c.* 6.

2. *Lips. malebat* omnino, *quia iam de* animo *dixerat. Sed sic melius feceris* ingenio, *uti supra c.* 35 *in Catonis elogio. Nihil tamen mutamus. Ante enim animi* vigorem, *nunc* virtutem *laudat.*

3. *l. potius* affinitate, *cf. Plut. in Caes. et Suet. Caes.* 6. *Habuit enim Marius seniorem uxorem, Caesaris amitam; hinc Mar. iunior eius consobrinus fuit.*

4. *Sic habet* MS. *Rhenan. Alii ex Suet. c.* 1 *edidere* modo. *Plut. in eadem re dicit*, neque spe, neque metu *Caesarem moveri potuisse*, *et sqq. satis declarant pericula, quibus non cessit, ut alii.*

fere XIIX annos, eo tempore, quo Sulla rerum potitus eſt; magis miniſtris Sullae adiutoribuſque partium, quam ipſo, conquirentibus eum ad necem, mutata veſte, diſſimilemque fortunae ſuae indutus habitum, nocte urbe elapſus eſt. Idem poſtea admodum iuvenis, cum a piratis captus eſſet [1], ita ſe per omne ſpatium, quo ab his retentus eſt, apud eos geſſit; ut pariter his terrori venerationique eſſet, neque umquam aut nocte aut die (cur enim, quod vel maximum eſt, ſi narrari verbis ſpecioſis non poteſt, omittatur?) aut excalcearetur aut diſcingeretur; in hoc ſcilicet, ne, ſi quando aliquid ex ſolito variaret, ſuſpectus his, qui oculis tan-
42 tummodo eum cuſtodiebant, foret. Longum eſt narrare, quid et quoties auſus ſit, quanto opere [2] conata eius, qui obtinebat Aſiam, magiſtratus [3] proventu ſuo deſtituere. Illud referatur docu-

1. *Circa Pharmacuſam inſulam ſupra Miletum teſte Suet. c.* 4.

2. *Exaggerative ſic dicit pro* maxima.

3. *Vulg.* P. R. metu ſuo deſtituerit. Sed MS. *habet* deſtituere, *quod rectum eſt et pendet ab* auſus ſit, *praveque immutatum ab iis, qui dictionem Velleii non aſſecuti ſunt. Tum illud* P. R. *voci magiſtratus additum nihili nobis eſt et* 7. metu ſuo *variis interpretum nugis anſam dedit.* Nos p. r. metu *ex* proventu *diſcerptum credimus et Velleio hunc ſenſum reddimus: longum eſt narrare q. et quoties magiſtratus, qui obtinebat Aſiam ſ. proconſul Aſiae Romanae, auſus ſit conata eius (Caeſaris) proventu ſuo de-*

mentum tanti mox evafuri viri. Quae nox eam diem fecuta eft, qua publica civitatum pecunia redemtus eft, (ita tamen ut cogeret ante obfides a piratis civitatibus dari) contracta claffe [1] et privatus et tumultuaria, invectus in eum locum, in quo ipfi praedones erant, partem claffis fugavit, partem merfit, aliquot naves multofque mortales cepit: laetufque nocturnae expeditionis [2] triumpho ad fuos reverfus eft; mandatifque cuftodiae, quos ceperat, [3] in Bithynia [4], perrexit ad proconfulem Iunium, ([5] idem enim cum Afia eam quoque ob-

ftituere. Sic ap. Nonium IV. *Naevius*, in alto navem iubet deftitui ancoris. *Scil. proconful ob invidiam deftituebat preces Caefaris, quo minus eius conata proventum haberent fuum, quod mox fufius exponit Vell. homo militaris et adulator faepe dura loquens.*

1. *Ex portu Milefio, tefte Plut. in Caef.*

2. *Alii hanc vocem a prioribus disiungendo multum nugantur. Rhen. bene omittit omnem intercifionem.*

3. *Pergami, ut refert Plut.*

4. *Quae anno fuperiori* 677 *Romanis provinciis acceſſerat: quod non vidit Lipf. qui Bithyniam id temporis etiamnum fub rege fuiffe, putans, mox falfam emendationem attulit.*

5. *Sic emendamus permixtam a librario lectionem* MS. *e quo Rhen. et edd. omnes ad Lipf. ufque legunt* cum idem enim Afiam eam quam obtinebat; *unde varia coniiciebant critici. Manutius:* Is enim Afiam tum obtinebat; *quod Boecl. Thyf. aliique receperunt. Lipf. accedente Voffio:* tum idem enim Afiam, eamque (*intelligebat Lipf.* Bithyniae partem aliquam) obtine-

tinebat) petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii. quod cum ille se facturum negasset, vendíturumque captivos dixisset (quippe sequebatur invidia inertiam); incredibili celeritate revectus ad mare, priusquam de ea re ulli proconsulis redderentur epistolae, omnes quos ceperat
43 suffixit cruci [1]. Idem mox ad sacerdotium ineundum (quippe absens pontifex factus erat in Cottae consularis locum, [2] cum, paene puer a Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sullae, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id sacerdotium) festinans in Italiam, ne conspiceretur a praedonibus, omnia tunc obtinentibus maria et merito [3] iam infestis sibi, quatuor scalmorum navem, una cum duobus amicis decemque servis ingressus, effusissimum Hadriatici maris traiecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum navibus, cum exuisset vestem alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunae parans,

bat; *quod nemo probet. Mittimus aliorum coniecta. Nostrum planius et verius; praeivit Freinsh. suppl. Liv.* 93, §. IV *et* XXIV.

1. *Suet. in Caes.* 74. Iugulari prius iussit, deinde suffigi; quod illis saepe minatus inter iocum fuerat. *idem c.* 4.

2. *Contra fidem ed. priscae irrepserat in edd. sqq.* cum *post verba* factus erat. *Illud inde recte eiecit Lipf. sed post vocem* locum *restituit.*

3. *Sic Voss. Boecl. Thys. dedere pro vulg.* tam, *quod Schegkius defendit pro* valde.

mox intellexit frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antemnarum praebuisse imaginem. Reliqua eius acta in urbe, nobilissimaque Dolabellae accusatio [1] ([2] sed maior civitatis in ea favor, quam reis praestari solet); contentionesque civiles cum Q. Catulo [3], atque aliis eminentissimis viris, celeberrimae; et ante praeturam victus maximi pontificatus petitione Q. Catulus [4], omnium confessione Senatus princeps; et restituta in aedilitate, adversante quidem nobilitate, monumenta C. Marii; simulque revocati [5] ad ius dignitatis proscriptorum liberi; [6] et praetura, quaesturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania, (cum esset quaestor sub Vetere Antistio,

1. *Quam is peregit anno aet.* XXI, *teste auctore dial. de Oratt. c.* 34 *extr. Accusavit igitur antequam a piratis rediit Vid. Suet. Caes. c.* 4. *cf. Plut. Caes. et Cic. in Brut.* 91. *Val. Max.* VIII, 9, 3.

2. *Vulg.* et. *Sed nostrum res ipsa poscit. vide Auctt. laudatos.*

3. *Ob restitutas C. Marii statuas cf. Plut. et Dio* 37 *et Suet. c.* 11.

4 *Cf. eosdem et Suet. c.* 13.

5 *Cf. supra c.* 28 *extr.*

6. *An forsan legendum* in praetura; *idque prioribus coniungendum? laudat certe priorem ex quaestura praefecturam in Hispania ulteriori s. Baetica cum iure praetorio administratam, quam et laudant Suet. in Caes. cap.* 7. *ac Cic. pro C. Balbo cap.* 19. *Alteram ex praetura gessit in Lusitania. cf. de diversitate legationum Dodwell. ann. Vell.* §. 29. *supra p.* 65.

avo huius Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium et sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest); quo notiora sunt, minus egent stilo.

44 Hoc igitur consule [1] inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum, nec minus diverso quoque tempore ipsis, exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius caussam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis (quibus, ut praediximus, multi obtrectabant) per Caesarem confirmarentur consulem: Caesar autem, quod animadvertebat, se cedendo Pompeii gloriae aucturum suam, et, invidia communis potentiae in illum relegata, confirmaturum vires suas: Crassus, ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus teneret Caesaris. [2] Affinitas etiam inter Caesarem Pompeiumque contracta nuptiis. quippe filiam C. Caesaris Cn. Magnus duxit uxorem. [3] In

1. *Cave cum Oudendorp. ad Suet. Caes.* 19 *aliisque hunc consulem putes Metellum, de quo dixerit c.* 40. *Est ipse Caesar. Quamvis enim Asinius Pollio, teste Hor.* II, 1, 1, *et Flor.* IV, 2 *origines societatis inter hos tres viros initae repetierint a priore anno s. consulatu Metelli, occultae tamen eae fuere, neque prius ipsum foedus manifestum extitit, quam consule Caes. cum Bibulo a* 695. *cf. Suet. cap.* 19 *et* 20.

2. *Supra c.* 40 *extr.*

3. *Sequuntur iam foederis documenta, quae praebuit ipse Caesaris consulatus.*

hoc consulatu Caesar legem tulit, *ut ager Campanus plebei divideretur*, suasore legis Pompeio. ita circiter XX millia civium eo deducta, et ius [1] ab his restitutum post annos circiter CLII, quam bello Punico ab Romanis Capua in formam praefecturae redacta erat. Bibulus collega Caesaris, cum actiones eius magis vellet impedire, quam posset, maiore parte anni domi se tenuit. quo facto dum augere vult invidiam collegae, auxit potentiam. Tum Caesari decretae in quinquennium Galliae. Per 45 idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, [2] quique dicendi neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum executor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, et actus incesti reus ob initum inter religiosissima P. R. sacra adulterium [3]; cum graves inimicitias cum M. Cicerone exerceret, (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?) et a patribus ad plebem transiret, legem in tribunatu tulit: *Qui*

1. *Int. civitatis et magistratus; ut quod Capuae, urbi captae* 543 *(cf. supra* I, 7*) ademtum erat, ita ut qui eam habitarent, iis ius petendum esset Romae. cf. omnino Liv.* XXVI, 16. *Neque igitur* his, *quod voluere Putean. et Lips. sc. civibus deductis, quippe qui non amiserant, sed* ab his *restitutum ius Capuae urbi.*

2. *Editores post Rhen. dederunt* qui neque dic. neque fac.

3. *Cum Pompeia, Iul. Caesaris uxore, quod in vulgus notum.*

civem R. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur. [1] Quibus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. ita vir optime meritus de re publica conservatae patriae pretium calamitatem exsilii tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Caesar et Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter XX viros dividendo agro Campano esse noluisset. Idem intra biennium sera Cn. Pompeii cura, verum, ut [2] cupiit, intenta, votisque Italiae ac decretis Senatus, virtute atque actione Annii Milonis trib. pleb. dignitati patriaeque restitutus est. Neque post Numidici exsilium aut reditum, quisquam aut expulsus invidiosius, aut receptus est laetius. cuius domus, quam infeste a Clodio disiecta erat, tam speciose a senatu restituta est. Idem P. Clodius ([3] in senatu) sub honorificentissimo *ministerii* ti-

1. *Vulg* cuius.

2. *Edit. Rhen. princ.* verum et cupit interita; *quod in altera Basil. ed. emendatum in* verum, ut coepit, interrita, *quod hodie est vulg. neque tamen criticis arrisit. Man. coniecit* verum excupito reditu, *Heinsius* ver. et cupiti interrita, *I. C. Schwarz (quem Grun. excitat Act. erud. Lips.* 1732 *Iun. p.* 292) ver. et coepti interrita. *Burm.* ver. ut coepit, interriti. *Nos propius a priscae lectionis vestigiis abesse malumus, ut sit:* verum, ut (*postquam*) cupiit, intenta.

3. *Verba uncinis inclusa plane delenda videntur Cuiacio Puteano. Acid. Schegk. Heins. coniic.* in tribunatu; *nos* infensus.

tulo, M. Catonem a republica relegavit. quippe legem tulit, *ut is quaeſtor cum iure praetorio, adiecto etiam quaeſtore, mitteretur in inſulam Cyprum, ad ſpoliandum regno Ptolemaeum*, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum [1]. Sed ille, ſub adventum Catonis, vitae ſuae vim intulit: unde pecuniam longe ſperata maiorem Cato Romam retulit. cuius integritatem laudari, nefas eſt [2]: inſolentia [3] paene argui poteſt, quod una cum Coss. ac Senatu effuſa civitate obviam, cum per Tiberim ſubiret navibus, non ante is egreſſus eſt, quam ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia. Cum deinde immanes res, vix multis voluminibus 46
explicandas, C. Caeſar in Gallia ageret; nec con-

1. *Avide tamen magis quam iuſte invaſit P. R. fatente Amm. Marc.* XIV, 7 *et improbat factum Cic. pro domo c.* 8. *Sed Clodius ſimul iniuriam ulciſci voluit, ob pretium redemtionis, cum a piratis captus eſſet, a Ptolem. avare praebitum. cf. Freinsh. ſuppl. Liv.* XCVIII.

2. *Quod exponunt: vires ſuperat; quomodo Hor.* I, *od.* 24 *extr. et* Cic. *in Tim.* 4. *Atque haec interpretandi ratio ſ. argutia adeo omnibus placuit, ut ſpernerent Manutii correctionem* - non laudari, nefas eſt. *Nobis videtur* dubitari, nefas eſt. *Supra certe c.* 35 *auctor laudare poterat* animum Virtuti (Deae) ſimillimum.

3. *Mitiori nomine* arrogantiam *notat. Declinatum enim illud ingenium a communi agendi ratione ſeu comitate, ſ. ſtudium ſingulariter faciendi ſua, arrogantiae argui poteſt.*

tentus plurimis ac feliciſſimis victoriis, innumerabilibuſque caeſis ac captis hoſtium millibus, etiam in Britanniam traieciſſet exercitum, alterum paene imperio noſtro ac ſuo quaerens orbem: [1] unicum par conſulum, Cn. Pompeius et M. Craſſus, alterum iniere conſulatum; qui neque petitus honeſte ab his, neque probabiliter geſtus eſt. Caeſari lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatae in idem ſpatium temporis provinciae: Craſſo, bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. qui vir, cetera ſanctiſſimus immuniſque voluptatibus, neque in pecunia neque in gloria concupiſcenda aut modum norat, aut capiebat terminum. hunc proficiſcentem in Syriam diris cum [2] omnibus, tribuni

1. MS. *ſ. ed princ. habet* victus pars conſulum. *Rhen. in margine coniecit, quod dein receptum, ſed et tentatum eſt. Urſin. et Popma* vetus par conſulum. *Acid.* inviſum p. c. *Lipſ. et Heinſ.* inclytum par c. *Voſſ.* vinctum p. c. *Noſtrum convenientius videtur omnibus. Unicus ſ. excellens erat Pomp. gloria et auctoritate, Craſſus divitiis. Uterque tamen, iam tum et potentia et favore populi inferior Caeſare, hunc parum honeſte adiere ob conſulatum. Freinshem. ſuppl. Livius* CIV, 89-94.

2. *Dirae ſunt, quas mox exſecrationes dicit. De hac* dirarum *(poenarum divinarum)* obnuntiatione *ab augure C. Ateio facta, ſed Craſſo neglecta vid. Cic. de div.* I, *c.* 16. *Flor.* III, 11, *Craſſum a tribuno plebis Metello* diris hoſtilibus *devotum tradit, quod ea belli vel potius auri Parthici cu-*

pleb. fruſtra retinere conati. quorum exſecrationes ſi in ipſum tantummodo valuiſſent, [1] utile imperatoris damnum ſalvo exercitu fuiſſet reipublicae. Tranſgreſſum Euphraten Craſſum petentemque Seleuciam, circumfuſis immanibus copiis equitum, rex Orodes una cum parte maiore Romani exercitus interemit. reliquias legionum C. Caſſius, atrociſſimi mox auctor facinoris, tum quaeſtor, conſervavit; Syriamque adeo in P. R. poteſtate retinuit, ut tranſgreſſos in eam Parthos, felici rerum eventu, fugaret ac funderet. Per haec, inſequentia- 47
que, et quae praediximus tempora, amplius [2] CCCC millia hoſtium a C. Caeſare caeſa ſunt, plura capta. pugnatum ſaepe directa acie, ſaepe in agminibus, ſaepe eruptionibus. bis penetrata Britannia. novem denique aeſtatibus, vix ulla non [3], iuſtiſſimus tri-

piditas haberet averſos Deos et homines. Erant vero dirae diverſum genus auſpicii ab ominibus, ſignisve *ſ.* prodigiis, *cf.* C*ic. l. c. Itaque neſcio, an edd. recentt. bene dederint* diris cum ominibus.

1 *Cave cum Lipſio, Heinſ. Burm. tentes* vile.

2 *Minuit certe multo numerum. Plin. enim et Solin.* praeter civiles victorias, undecies centena et nonaginta duo millia hominum occiſa *a Caeſare proeliis ſcribunt. Appian. decies centena millia decem, quibus Galliae praefuit, annis periiſſe refert proeliis.* C*onſentit Plut. in Pomp. Itaque Lipſ. h. l. ſaltim* DCCC millia *legi mavult; Voſſ.* CIↃC millia.

3 *h. e. novem aeſtatibus, nulla fere excepta.* Vix ulla non *nobis eſt* nulla fere non. *Nihil adeo tentandum.*

umphus emeritus. circa Alesiam vero tantae res gestae, quantas audere vix hominis, perficere, paene nullius, nisi dei, fuerit. Septimo ferme anno Caesar morabatur in Galliis, cum medium iam, ex [1] unitate potentiae ac familiae cohaerentis, inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus,

1. *Novam hanc eruimus lectionem e vestigiis* MS. *s. ed. princ. quae sic habent:* ex invidia Ponti ac Camiliae cohaerentis *etc. Rhen. coniecerat* ex inv. Ponti male cohaerentis; *alii absurde dein a* Ponti *descivere ad* Pompeii. *Sed Lipsius ex* Ponti *rectius invenit* potentiae, *unde vulg. iam est* ex inv. potentiae male cohaerentis. *Gruter. vero malebat* ex inv. potentiae aemulae; *Heins.* ex inv. potentiae ac aemulatu. *Nobis haec parum probantur. Quae illa sit* ex invidia pot. *s.* aemulatione cohaerens concordia, *fere non intelligimus; et quamvis illa concordia instabilis fuerit, eoque male cohaesisse dici possit; vera tamen fuit, dum Iulia vixit. Val. Max.* IV, 6, 5 *ait:* cuius *(orbis)* tranquillitas tot civilium bellorum truculentissimo furore, si Caesaris et Pompeii concordia communis sanguinis vinculo constricta mansisset. *Seneca in consol. ad Polybium c.* 34. Vixit Sextus Pompeius, primum sorori *(Gruter. intelligit gnatam Iuliae, eodem anno cum matre exstinctam, cf. Suet. c.* 26*)* superstes, cuius morte optime cohaerentis Romanae pacis vincula resoluta sunt. *Ipse Lucan.* I, 111 *sq.* Non cepit fortuna duos nam pignora iuncti sanguinis - abstulit Iulia *etc. Itaque non tam contra* MS. *et historiae fidem, quam contra male cohaerentia somnia criticorum ausi sumus.*

Iulia uxor Magni deceſſit; atque omnia inter deſtinatos tanto diſcrimini duces dirimente fortuna, filius quoque parvus Pompeii, Iulia natus [1], intra breve ſpatium obiit. Tum in gladios caedeſque civium furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur nec modus, tertius conſulatus ſoli Cn. Pompeio, etiam adverſantium antea dignitati eius iudicio, delatus eſt [2]. cuius ille honoris gloria, veluti reconciliatis ſibi optimatibus, maxime a C. Caeſare alienatus eſt. ſed eius conſulatus omnem vim in coercitionem ambitus exercuit. Quo tempore P. Clodius a Milone, candidato conſulatus, exemplo [3] inutiliter facto ſalutari reipublicae, circa Bovillas, contracta ex occurſu rixa, iugulatus eſt. Mi-

1. *Apud. Suet. in Caeſ. c.* 26 *variat lectio:* Eodem temporis ſpatio (*an.* 702) matrem primo, deinde filiam, nec multo poſt *neptem* amiſit. *Alii enim legunt* nepotem. *Pro hac lectione ſtant praeter alios cod. Vat. optimus, Vell. et Lucan. ſed pro illa praeter codd. plures Dio L.* 39 *cui Pompeii uxor* θυγάτριον τε τεκοῦσα *obiiſſe dicitur, Plut. in Pomp. praeterque hos Lipſio Velleium tuenti, Gruterus opponit Senecam l. c. vid. not. praec.*

2. *M. Bibulo, maximeque Catone auctoribus, ne l. Pomp. dictator, l. Caeſ. collega fieret.*

3. *Sic e* MS. *ed. pr. Urſin. inde abſciſa ſyllaba* ter *fecit inutiliter* inutili, facto ſ. Salutare *dicit reip. exitium Clodii (uti olim T. et C. Gracchorum): ſed mox alii pernicioſi ſuccedebant. Ita* inutiliter *factum an* inciviliter? *Sed nil audemus. cf. not. ſq.*

lonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas. quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia [1]. [2] qui si maturius tulisset, non defuissent qui sequerentur exemplum, probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior reipublicae, neque bonis inimicior vixe-
48 rat. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia: cum iustissimus quisque et a Caesare et a Pompeio vellet dimitti exercitus. quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse ac praesidens urbi, per Afranium et Petreium consularem ac praetorium, legatos suos, administrabat; et iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, adsentabatur [3], iis [4], qui ab ipso quoque, adversabatur. qui si ante biennium quam ad arma itum est, perfectis muneribus [5] theatri et aliorum

1. *Ascon. Pedian. ad Cic. Milon.* fuerunt, qui crederent, M. Catonis sententia eum esse absolutum. Nam et bene cum rep. actum esse morte P. Clodii non dissimularat, et studebat in petitione consulatus Miloni, et reo affuerat - Sed Milonis quoque notam audaciam vetiare p utile (*lege nobiscum* avertere perutile) visum est.

2. *Vulg.* quam. *Nos sequimur ed. princ.*

3. *h. e. adulans tum Senatui* assentiebatur, *quod verbum Lips. maluit.*

4. *Qui pro Caesare laborabant, populares.*

5. Munera *appellabantur cultoribus, quae alias opera publica, teste Frontino de aquaed. notante Voss. Scil. et ipsa theatra in gratiam*

operum quae ei circumdedit, graviſſima tentatus valetudine deceſſiſſet in Campania (quo quidem tempore univerſa Italia vota pro ſalute eius, [1] primo omnium civium, ſuſcepit); defuiſſet fortunae deſtruendi eius locus, et quam apud ſuperos [2] habuerat magnitudinem, illibatam detuliſſet ad inferos. Bello autem civili, et tot, quae deinde per continuos XX annos conſecuta ſunt, malis, non alius maiorem flagrantioremque, quam C. Curio trib. pleb. ſubiecit facem: vir nobilis, eloquens, audax, ſuae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingenioſiſſime nequam, et facundus malo publico; cuius animo, voluptatibus vel libidinibus, neque opes ullae neque cupiditates [3] ſufficere poſſent. Hic primo pro Pompeii partibus, id eſt, ut tunc habebatur, pro republica, mox ſimulatione contra Pompeium et Caeſarem, ſed ani-

populi erigebantur. Noſter eodem vocabulo iterum utitur c. 130.

1. *Perizon. malebat* primi.

2. *h. e.* vivos; *ut* inferos *pro* mortuis; *poetice. Plaut. comice ſatis iiſdem vocibus ſic utitur Aulul.* II, 7, 6. *Sed Propert.* II *El.* 21 ſuperos locos *(viventium) opponit* inferis. *Similiter Lucian. ſaepius τους ανω homines in terra, ſ. apud ſuperos viventes opponit manibus τοις κατω; cf. Hemſterh. ad Lucian. dial. ſelect. pag.* 12 *ſq.*

3. *Cupiditates h. l. pecuniae metonymice dici credimus pro ipſis direptionibus. Sic certe non eſt, quod tentemus locum ab aliis vexatum magis quam ſanatum.*

mo pro Caeſare ſtetit. id gratis an accepto centies [1] HS fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. ad ultimum ſaluberrimas [2] et coaleſcentes conditiones pacis, quas et Caeſar iuſtiſſimo animo poſtulabat, et Pompeius aequo recipiebat, diſcuſſit ac rupit; unice cavente Cicerone concordiae publicae [3]. Harum praeteritarumque rerum ordo [4] cum iuſtius aliorum voluminibus promatur, tum,
49 uti ſpero, noſtris explicabitur. Nunc propoſito operi ſua forma reddatur; ſi prius gratulatus ero [5] Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque et Hortenſio: qui cum ſine invidia in republica floruiſſent

1. *Brevius ſic dicebant pro* centies centenis mill. Seſtertt. *Sed ex Val. Max.* IX, 16 *Lipſ. legit et h. l.* ſexcenties Seſtertium; *quanti fuit aes alienum Curionis a Caeſ. redemti. Idem ſentit Freinshem. ſuppl. Liv.* CIX *etc.*

2. *Vulg. male* et coaleſcentis cond. pacis; *unde Heinſ. deleri voluit* et. *Sed dura quoque ſic traiectio. Itaque* coaleſcentes *nobis ſunt* conditiones, *quae iam maturitatem aliquam aſſecutae erant, ut ipſe auctor ſtatim explicat. cf. Quintil.* II, 9, 3. Eloquentia coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis accipientiſque concordia. *Eadem vis eſt verbi* adoleſcere.

3. *Cf. Plut. in Caeſ. et Cic. alioſque quos ſequitur Freinsh. l. c.* §. 28-31.

4. *A* MS. *et ed. princ. inepte, edicente iam Voſſio, diſceſſum, cum ederetur, quod vulgatum eſt:* cum iuſtis a. v. promitur, tum-expl. *Exempla noſtrae lectionis ex Cic. afferre, ſupervacuum.*

5 *h. e. felicitatem praedicavero Catuli etc.*

eminuiſſentque ſine periculo; quieta, aut certe non praecipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi ſunt. Lentulo et Marcello Coss. poſt urbem conditam annis [1] DCCIII, et anno LXXIIX, quam tu, M. Vinici, conſulatum inires, bellum civile exarſit. Alterius ducis [2] cauſa melior videbatur: alterius erat firmior. Hic [3] omnia ſpecioſa: illic valentia. Pompeium ſenatus auctoritas: Caeſarem militum armavit fiducia. Conſules Senatuſque [4] cauſam non Pompeio, ſed ſummam imperii detulerunt. Nihil relictum a Caeſare, quod ſervandae pacis cauſa tentari poſſet: nihil receptum a Pompeianis. cum alter conſul [5] iuſto eſſet ferocior, Lentulus vero ſalva republica ſalvus eſſe non poſſet [6]: M.

1. *Sequitur noſter aeram Catonianam. Annus vero Varronianus eſt* 705.

2. *Scil. Pompeii.*

3. *Penes Pompeium.*

4. *Vulgo fracte et inſane haec leguntur* cauſae, non Pompeio, ſummam imperii detulerunt. *Inde Lipſ. corrigebat* cauſa nominis Pompeio. *Gron. ad Statium* III *Sylv.* 3 *c.* 32 cauſae nomine Pompeio. *Voſſ. Heinſ. nihil mutant, ſed tuentur vulgatam; quae tamen prius ab iis emendari debuit. Nos ita ordinamus, ut ſenſus ſit*: ſummam imperii ſ. belli detulere Pompeio, non vero ſummam cauſae ſ. reipublicae. *conſules enim cum maiori parte Senatus cum eo erant, abſque quibus ipſi non paciſci cum Caeſare etc. licebat.*

5. *Marcellus.*

6. *Ob aeris alieni magnitudinem; cf. Caeſ. de* B.C. I, 4.

autem Cato *moriendum ante, quam ullam conditionem eius accipiendam reipublicae*, contenderet; vir antiquus et gravis Pompeii partes laudaret magis, [1] quam prudens ſequeretur Caeſaris; et illa [2] glorioſa, haec [3] terribiliora duceret. Ut deinde, ſpretis omnibus quae Caeſar poſtulaverat, tantummodo contentus cum una legione titulum retinere provinciae, privatus in urbem veniret, et ſe in petitione conſulatus ſuffragiis P. R. committeret, decrevere; ratus bellandum Caeſar, cum exercitu Rubiconem [4] tranſiit. Cn. Pompeius conſuleſque et maior pars ſenatus, relicta urbe, ac deinde Italia, transmiſere Dyrrhachium. At Caeſar Domitio

1. *Inſerimus primi particulam* quam, *quae abeſt in vulg. et tamen poſcitur a priori voce et ab ipſa re. Qua non animadverſa aberrarunt G. Cuperus, verba inde a* vir ant. *epiphonema putans lectionique varie inſultans; P. Burm. pro* ſequeretur *coniiciens* vereretur, *aut nomen viri illuſtris deeſſe ſuſpicans, cui ultimae opinioni aſſenſit Grunerus. Hiſce miſſis novam inimus rationem, quam aptiorem credimus. Cato enim Pompeianorum cauſam probabat, Pompeium ſaepius increpabat; Ciceronem idem reprehendebat, quod Roma diſceſſiſſet Pompeium ſecuturus, cum melius Romae, ubi partes ad ſanitatem aliquam rediiſſent, pacis conciliatorem agere debuiſſet. tandem ſuos ad Caeſarem dimiſit, ipſe ſuo ictu inventurus mortem, qua terribiliorem ducebat ſervitutem, cf. Plut. Cat.*

2. *Mortem voluntariam.*

3. *Mitius ſic dicit* ſervitutem *civitatis.*

4. *Quondam Italiae Galliaeque togatae terminum.*

legionibusque [1] Corfinii, quae una cum eo fuerant,
potitus, duce aliisque, qui voluerant abire ad Pom-
peium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundi-
sium, ita ut appareret, malle, integris rebus et
conditionibus, finire bellum, quam opprimere fu-
gientes, cum transgressos [2] reperisset consules, in
urbem revertit: redditaque ratione consiliorum
suorum in Senatu et in concione, ac miserrimae ne-
cessitudinis, cum alienis armis ad arma compulsus
esset, Hispanias petere decrevit. Festinationem
itineris eius aliquamdiu morata Massilia est, fide
melior, quam consilio prudentior: intempestive
principalium armorum arbitria captans, quibus hi
se debent interponere, qui non parentem coërcere
possunt. Exercitus deinde, qui sub Afranio con-
sulari ac Petreio praetorio fuerat, ipsius [3] adventu,
vigore ac fulgore occupatus, se Caesari tradidit.
uterque legatorum; et quisquis cuiusque ordinis
sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium. Proximo 51
anno, cum Dyrrhachium ac vicina ei urbi regio
castris Pompeii teneretur, (qui accitis ex omnibus

1. *Burmanniana ed. per mendum non habet* Corfinii, *quod in omnibus edd. est inde a Rhen. Praeter Plut. Dion. App. ipsius Caesaris adeundi sunt libri de B. C. Is L. I, c.* 15 *Domitium habuisse* 33 *cohortes scribit. Corfinium est in Pelignis.*

2. *Int. mare.*

3. *Ita a Rhen. ad Lips. usque legunt. Postea irrepsit* adventus, *quod hodie est vulg. inepte satis.*

transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque et tetrarcharum simulque dynastarum copiis, immanem exercitum confecerat, et mare praesidiis classium, ut rebatur, sepserat, quo minus Caesar legiones posset transmittere) sua et celeritate et fortuna C. Caesar usus, nihil in mora habuit, quo minus [1] eo, cum vellet, ipse exercitusque classibus perveniret, et primo paene castris Pompeii sua iungeret, mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus, quam obsessis, erat gravior. Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium, saepiusque cum Lentulo collocutus consule, dubitante, quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus [2] non Hispaniae alienatus, sed Hispanus in triumphum

1. *Ita bene rescribi vult Voss. pro vulg.* et. *Int. autem* Dyrrhachium.

2. *Edit. Rhen. e* MS. non Hispaniae Asiae natus, sed *etc. Pro eo fecit Burer.* non Hispaniae suae natus, sed *etc. quod receperunt edd. Sed cum Lips. correxisset* non Hispaniensis, sed Hispanus, *ei omnes accessere. Nos utramque veterem ac novam vulgatam cum ceteris editorum conjecturis, minus iustis, mittimus; veramque lectionem restituimus ex ipsa causa Balbi a Cicerone defensa contra accusatorem, qui contenderat, non potuisse Balbum in civitatem Rom. venire, quia populus Gaditanus, e quo Balbus erat a Pompeio sigillatim civitate donatus, non factus esset fundus h. e auctor. Et sic quoque Festus:* Fundus dicitur populus esse rei, quam alienat, auctor. *Cic. in orat.*

et pontificatum adsurgeret, fieretque ex privato consularis. Variatum deinde proeliis, sed uno longe magis Pompeianis prospero [1], quo graviter impulsi sunt Caesaris milites. Tum Caesar cum exercitu fatalem victoriae suae Thessaliam [2] petiit. 52
Pompeius, (longe diversa aliis suadentibus, quorum plerique hortabantur, *ut in Italiam transmitteret;* neque hercules quidquam partibus illis salubrius fuit: alii, *ut bellum traheret*, quod dignatione partium [3] in dies ipsis magis prosperum fieret) usus impetu suo, hostem secutus est. Aciem Pharsalicam, et illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis, et collisa inter se duo reipublicae capita, effossumque alterum Romani imperii lumen [4], tot talesque Pompeianarum partium caesos viros, non recipit enarranda hic scripturae modus. Illud notandum est: ut primum C. Caesar incli-

laudata sensum legis Iuliae pervertisse, veriusque accusatorem explicasse hodie nemo negat. cf. Gell. XIX, 8 *et Manut. ad orat. cit. argum.*

1. *Dyrrhachii pugnato, adeo ut Caesar ipse diceret:* actum de nobis est, si hostis scivisset victoria uti.

2. *Thessaliam, quae ipsi fatalis s. fato destinata erat ad victoriam; uti Cic. in Catil.* IV, 1 Meus consulatus ad salutem reip. prope fatalis fuit.

3. *Ob maiorem dignitatem partium, in quibus erant cum Pompeio consules meliorque pars Senatus.*

4. *Pompeium.*

natam vidit Pompeianorum aciem, neque prius neque antiquius quidquam habuit, [1] quam in om-

1. *Locum, quem, uti vulgatus est, affectum edimus, nemo adhuc interpretum sanavit aut explicavit. Lips. vocem* partes *pro* verbo militari *habens legensque* quam ut omnes partes *(h. e. partium studium)* — dimitteret, *nihil dixit. Voss. verbum illud quaerens in* dimitteret *(sc. ab armis) ineptit. Gruner. ex App. Al. L.* II *revocat locum, quem latine damus:* Tum Caesar usus consilio prudentissimo, ne rursum instaurarent ordinis — dimissis circumquaque praeconibus, edixit civibus parci et in sola saeviri auxilia *etc. et militare verbum dicit:* in omnes partes dimittere; *quod quam apte putet Grunerus, iudicent alii. Flor.* IV, 2, 50 *ab ipso obequitante Caesare vocem auditam ait:* Parce civibus. *Consentit Suet. in Caes. c.* 75. *Polyaenus L.* VIII *refert vocem φείδεσθε πολίτων (sic Freinshem. pro πολεμίων). Itaque fere coniicimus:* quam in omnes partes ut militare verbum, consulite civium vitae, dimitteret. *Verbum enim* consulere *victis s. fugientibus militariter usitatum pro* parcere *discimus ex Tac.* III *Ann. c.* 46 *(cf. notata T.* II *ed. Bip. p.* 321 *sq.) et Curtio* IV, 1, 14. *Verum Plut. in M. Bruto narrat, Caesarem exercitus sui duces praemonuisse, ut Brutum Caepionem (qui creditus est a Caesare, amatore Serviliae matris, genitus) in pugna non occiderent, sed servarent; quin si facilem se praeberet, liberaliter ducerent; si capientibus obsisteret, eum mitterent, nec vim aliquam inferrent ipsi - ac dein, cum incolumis ad se pervenisset, egregie laetatum esse. Iam cum Velleius mox addat,* huius erga se in Brutum voluntatis pretium *ini-*

nes partes (ut militari et verbo et consuetudine
utar) dimitteret. pro dii immortales, quod huius
voluntatis erga Brutum [1] suae postea vir tam mitis
pretium tulit! Nihil illa victoria mirabilius, magni-
ficentius, clarius fuit, quando neminem, nisi acie
consumtum, civem patria desideravit: sed munus
misericordiae corrupit pertinacia; cum libentius
vitam victor iam daret, quam victi acciperent.
Pompeius profugiens cum duobus Lentulis consu- 53
laribus, Sextoque filio, et Favonio praetorio, quos
comites ei fortuna aggregaverat, aliis *ut Parthos*,
aliis *ut Africam peteret, in qua fidelissimum partium
suarum haberet regem Iubam*, suadentibus, Aegyp-
tum petere proposuit; memor beneficiorum, quae
in patrem [2] eius Ptolemaei, qui tum puero quam
iuveni propior regnabat Alexandriae, contulerat.
Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam?
aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam?
aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque
ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is iam a

quum tulisse *Caesarem*, *paene adducimur*, *ut legamus*: quam in n. p. ut militares viros ad conservandum Brutum dimitteret. *Sic certe militare illud verbum abest. Sed nimium iam lusimus.*

1. *Simpliciter sic h. l. et in sqq. vocat* M. Brutum, *qui et Cic. Phil.* X, 11 Q. Caepio Brutus *dicitur*, *quod a matris fratre adoptatus erat.*

2. *Quem Pompeius per Gabinium in regnum restituerat.*

Mytilenis Corneliam uxorem receptam in navem, fugae comitem habere coeperat) conſilio Theodoti et Achillae exciperent, hortarentur ut ex oneraria in eam navem, quae obviam proceſſerat, tranſcenderet [1]. quod cum feciſſet, princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Aegyptii mancipii, C. Caeſare, P. Servilio Coss. iugulatus eſt [2]. Hic poſt tres conſulatus et totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, ſanctiſſimi ac praeſtantiſſimi viri, in id evecti, ſuper quod aſcendi non poteſt, duodeſexageſimum annum agentis, pridie natalem ipſius, vitae fuit exitus: in tantum in illo viro a ſe diſcordante Fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam. Quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in aetate tanti et paene noſtri ſeculi viri fefellit quinquennium? cum a C. Atilio et Q. Servilio Coss. [3] tam facilis eſſet annorum digeſtio. quod adieci, non
54 ut arguerem, ſed ne arguerer. Non fuit [4] maior

1. *Uberius haec narrata legas ap Plut. in Pomp.*

2. *A. U. C. Caton.* 704.

3. *A. U. C.* 647, *quo natus fuit Pomp. Et tamen Plut. et App. poſt noſtrum errant. Itaque illis nec conſulta fuerit haec hiſtoria, cuius pleraque exemplaria eum ipſo auctore ad oblitterandas Seiani laudes deleta eſſe videntur, ex more temporum Tiberii, cf. Tacit. Ann.* IV, 35.

4. *Vulg. ingeritur* tamen; *quod eſt a coniectura Burer. abeſt a* MS. *Nos cum Voſſio mittimus.*

in Caesarem, quam in Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides. quippe cum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, utrique summo imperatorum, alteri superstiti, meritas poenas luere suppliciis. Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique [1] vivebat nomine: quippe ingens partium eius favor bellum excitaverat Africum. quod ciebat rex Iuba et Scipio, vir consularis, ante [2] biennium, quam extingueretur Pompeius, lectus ab eo socer. eorumque copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia [3], perductis ad eos legionibus: qui vir, cum summum ei a militibus deferretur imperium, honoratiori [4] parere maluit. Admonet promissae bre- 55
vitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint.

1. *Ita Lips. recte fecit ex* Iubae; *quod alii e* MS. *dederunt, alii delere maluerunt. Sic Cic. Phil.* XIII, 3 *de se:* si non spiritu, at virtutis laude vivemus.

2. *Lips. ex Plut. qui ductam a Pomp. Cos.* III *memorat, notat verius* triennium. *Sed dissentiunt saepe scriptores; itaque nihil mutari voluit.*

3. *Scil. ubi cum copiis ab itinere requiesceret. Sic Cic. pro domo:* quod facile potuit propter inopiam tecti in foro pernoctans. *Mittimus igitur aliorum nugas; Raphelengii* aquarumque i. *Grege enim utebatur asinorum, qui aquam ferreat, teste Plut. aut* liquorum, *quod Vossio indignum est.*

4. *Int. Scipioni, qui pro consule obtinebat provinciam.*

Sequens fortunam suam Caesar, pervectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primo varia [1] fortuna mox pugnavit sua: inclinataeque hostium copiae. nec dissimilis ibi adversus victos, quam in priores, clementia Caesaris fuit. Victorem Africani belli C. Caesarem gravius excepit Hispaniense, (nam victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriae eius adstruxit [2]) quod Cn. Pompeius Magni filius, adolescens impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflaverat: undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est: sed nullum umquam atrocius periculosiusque ab eo initum proelium [3], adeo ut, plus quam dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem

1. *Vulg.* fortunam expugnavit via: *Nostram lectionem, qua nihil verius, invenit Acid. Nos recipere non dubitavimus, ut* τὸ primo *habeat suum* mox, *quod illi respondeat.* Suam fortunam C. *supra dixit noster et infra:* Sua Caesarem in Hisp. comitata est fortuna.

2. *Lips. praeter rem iubet* adstruxerit. Pharnacem, Ponti regem Caesar aggressus, *(teste Floro* IV, 2, 63*)* uno, et ut sic dixerim non toto proelio obtrivit. *Unde Caesar praedicavit;* ante victum hostem esse, quam visum. *Notum est illud:* Veni, vidi, vici.

3. *De quo proelio ad Mundam vide Strab.* L. III *Flor.* IV, 2.

suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in eum servasset exitum, denunciaret militibus, *vestigio se non recessurum: proinde viderent, quem et quo loco imperatorem deserturi forent.* verecundia magis quam virtute, [1] acies restituta est a duce, quam a milite, fortius. Cn. Pompeius, gravis vulnere inventus inter solitudines avias, interemtus est. Labienum Varumque acies abstulit. Caesar 56
omnium victor, regressus in urbem, quod humanam excedat fidem, omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit; [2] et magnificentissimis gladiatorii muneris, naumachiae, et equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, replevit eam. Quinque egit triumphos. *Gallici* apparatus ex citro, *Pontici* ex acantho, *Alexandrini* testudine, *Africi* ebore, *Hispaniensis* argento rasilii constitit. pecunia ex manubiis lata paulo amplius [3] sexies

1. *Vulg.* cuius restitutae sunt a. d. q. a. m. f. *Sed* MS. *habet* acies restitutae C. A. duce; *unde et a vero propius abest nostra lectio. Flor.* IV, 2, 81. quod etsi nondum fugerat, apparebat tamen pudore magis quam virtute resistere.

2. *Vulg.* magnificentissimisque. *Sed illud* que *est a Burer. non a* MS. *et facilius credas, ultimam verbi* ignovit *absorpsisse* το et.

3. *App. Al.* L. II μυριαδας ἑξ και ἡμισυ ταλαντων *h. e.* 65 *millia talentum dicitur, unde Hottomannus corrigebat* sexagies millies; *repugnante Lipsio, cui et numerus visus immanis, faciens* 150 *milliones aureorum. Sexies millies*

millies HS. Neque illi tanto viro, et tam clementer omnibus victoriis suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit. quippe cum mense Octobri in urbem revertisset, Idibus Martiis coniurationis auctoribus Bruto et Cassio, quorum alterum promittendo consulatum non obligaverat, contra differendo Cassium offenderat; adiectis etiam consiliariis caedis [1] familiarissimis omnium et fortuna partium eius in summum evectis fastigium, D. Bruto et C. Trebonio, aliisque clari nominis viris, interemtus est. cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti eius, Lupercalibus sedentis pro Rostris, insigne regium; quod ab eo ita repulsum erat, ut non [2] offensus

aestimante G. Budaeo faciunt 15000000 *aureorum*, *quantum ab ipso Pomp. non illatum sit. Sed idem Lips. de magn. Rom. c.* 8 *Grunero laudatus*, *dein rescribere iubet* decies sexies millies, *quae sint* 40 *milliones*, *Quodsi locum habeat*, *lenius fuerit rescribere* sedecies. *Sed alii numerum vulgatum tuentur ex Cic. et ipso nostro*, *qui infra memorat*, *Caesarem ad Opis septies millies depofuisse.*

1. *i. e.* qui eiusdem consilii participes essent, *ut Cic. de seqq.* III, 19. *Et sane prae aliis consilia dabant D. Brutus et Treb. Vetat igitur Gruter. cum aliis vexare vocem* consiliariis.

2. *Sic Rhen. sed* MS. offensum, *quod ex Cic. de Inv.* I, 49 *defendi possit:* ac si voluntas Caesaris non offensa videretur imposito insigni *etc.*

videretur. Laudandum experientia consilium est 57
Pansae atque Hirtii, qui semper praedixerant Caesari, *ut principatum armis quaesitum armis teneret.* ille dictitans, *mori se quam timeri malle*, dum clementiam, quam praestiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est; cum quidem plurima praesagia atque indicia dii immortales futuri obtulissent periculi. nam et haruspices praemonuerant, *ut diligentissime Iduum Martiarum caveret diem*; et uxor Calpurnia territa nocturno visu, *ut ea die domi subsisteret*, orabat: et libelli coniurationem nuntiantes, [1] dati abeunti, neque protinus lecti erant. Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Quo anno id patravere faci- 58
nus M. Brutus et C. Cassius, praetores erant; D. Brutus consul designatus. hi una cum coniurationis globo, stipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupavere, cum Cos. Antonius (*quem cum simul interimendum censuisset Cassius, testamentumque Caesaris abolendum*, Brutus repugnaverat; dictitans: *nihil amplius civibus praeter tyranni*, [ita enim appellari Caesarem facto eius expediebat] *petendum esse sanguinem*) convocato Se-

1. *Vulg. male* dati ab eo neque *etc. unde varia coniecerunt Critici, quae aberrant. Speramus, nostrum nemini improbari. Dati enim illi erant* ab obvio, *ut Suet. dicit; itaque domo in curiam abeunti.*

natu, cum iam Dolabella, quem substituturus sibi [1] Caesar designaverat consulem, fasces atque insignia corripuisset consularia, velut pacis auctor, liberos suos obsides in Capitolium misit [2], fidemque descendendi tuto interfectoribus Caesaris dedit. et illud *decreti Atheniensium* celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone [3], *oblivionis praeteritarum re-*
59 *rum*, decreto patrum comprobatum est. Caesaris deinde testamentum apertum est, quo C. Octavium, nepotem sororis suae Iuliae, adoptabat. De cuius origine, etiamsi [4] parum constet, pauca dicenda

1. *Scil. profecturus ad bellum Parthicum. Consul autem eo anno fuerat cum Antonio ipse Caesar.*

2. *Liv. epit* 116 obsides Antonii et Lepidi liberos acceptos *dicit.*

3. *Ciceronis de* αμνηστια *orationem vide ap. Dion.* L. XLIV *et ipse eam memorat Philipp.* I, 1. In quo templo (*Telluris*), quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavi exemplum vetus. Graecum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui.

4. *Corrupte Rhen.* praevenit et. *Voss. quidem et Boecl. auctorem respicere putant ad Augusti commentarios et vita sua, quod excitat Suet. in Aug. c.* 2 *et* 85. *Verum id nihil est. Praeventus certe erat Velleius a multis, qui ante historias scripserant, ab ipso in breviarium redactas. Rhen. in margine coniecerat* etiamsi praeventis pauca d. f. *quod dein receptum est, ita tamen ut retineretur* et *ante* pauca. *In his quidem nil*

funt. Fuit C. Octavius, ut non patricia, ita admodum fpeciofa equeftri genitus familia, gravis, fanctus, innocens, dives. Hic praetor inter nobiliffimos viros creatus, primo loco, cum ei dignatio Iulia [1] genitam Atiam conciliaffet uxorem, ex eo honore fortitus Macedoniam, appellatufque in ea *Imperator*, decedens ad petitionem confulatus obiit, praetexato relicto filio. quem [2] C. Caefar, maior eius avunculus, educatum apud Philippum vitricum [3], dilexit ut fuum, natumque annos XIIX, Hifpanienfis militiae adfecutum fe poftea comitem [4] habuit, numquam aut alio ufum hofpitio, quam

recti eft. Cur enim non in aliorum originibus memorandis operam fuam pariter excufavit? Sed ex Suet. c. 1-3 *conftat, Augufti maiores fupra patrem haud claros fuiffe; ipfumque Auguftum nihil amplius quam equeftri familia ortum fe, vetere ac locuplete fcripfiffe, M. vero Antonium et Caffium quendam Parmenfem ipfi humilitatem natalium obiecіffe. Itaque edocti, in* MSS. *faepius pro parum irrepfiffe* prae, *audemus: etiamfi parum conftet, pauca* *i. e. quod neque Seiano, equeftris familiae, focio laborum Tiberii et ad imperium adfpiranti, neque Tiberio, qui in Claudiae gentis nobilitate magis fuperbiebat, ingratum dixerat nofter.*

1. *Coniuge M. Atii Balbi. cf. Suet. Aug c.* 4.

2. *C. Octavii et Atiae filium, Octavium iuniorem.*

3. *M. Philippum confularem. Suet. c.* 8.

4. *Sic infra c.* 118 affiduus militiae noftrae comes. *Eft* militia *h. l. idem ac* expeditio.

suo, aut alio vectum vehiculo: pontificatusque sacerdotio puerum honoravit. et [1] patratis bellis civilibus, ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis [2] indolis iuvenem, Apolloniam eum in studia miserat, mox belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem. cui ut est nuntiatum de caede avunculi, cum protinus ex vicinis legionibus centuriones suam suorumque militum operam ei pollicerentur, neque eam spernendam Salvidienus et Agrippa dicerent; ille festinans pervenire in urbem, omnem [3] ordinem ac rationem et necis et testamenti Brundisii comperit. cui, adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: et cum intraret urbem, Solis orbis super caput eius, curvatus aequaliter rotundatusque, in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens, conspe-
60 ctus est. Non placebat Atiae matri [4], Philippo-

1. *Vulg.* pacatis. *Sed* MS. paratis; *Manut. inde nostrum elicuit verius.*

2. *Ita Thys. recte emendat vulgatam casibus permixtam* indolem iuvenis.

3. *Rhen. edidit* ordinationem et n. et t. *quod ferendum censet Voss. Erasm. tamen aliique edidere* ordinem et n. et t. *Acid. rescribi voluit* ordinem ante et n. et t. *Nos probamus Tho. Munkeri emendationem a nobis receptam, ita ut* ordinem *magis patratae* necis, rationem *s. formam modumque* testamenti *esse credamus.*

4. *Filium tamen Appiano Alex.* L. III *p.* 866 *docente,* monuit, ut adhuc arte tolerantiaque uteretur potius, quam aperta audacia.

que vitrico, adiri nomen invidiosae fortunae Caesaris: sed asserebant salutaria reipublicae terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis. Sprevit itaque coelestis animus humana consilia: et cum periculo potius summa, quam tuto humilia, proposuit sequi, maluitque avunculo et Caesari de se, quam vitrico credere; dictitans; *nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset visus*, [1] *sibimet ipsum videri indignum.* Hunc protinus Antonius Cos. superbe excipit (neque is erat contemtus, sed metus); vixque admisso in Pompeianos hortos loquendi secum tempus dedit: mox etiam, velut insidiis eius petitus, sceleste insimulare coepit; in quo turpiter deprehensa eius vanitas est [2]. Aperte deinde Antonii ac Dolabellae consulum ad nefandam dominationem erupit furor. HS septies millies [3], depositum a C. Caesare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio: [4] actorum

Caesaris vero nomine adscito aperte se pro vindice gerens videri poterat.

1. *Vulg.* semet *Nostrum recte praecipit Ursinus.*

2. *Sed cf.* Cic. ad div. XII, 23 *et Senec. de clem.* I, 9.

3. *Eundem numerum dicit Cic. Phil.* II, *c.* 14 *et* 37.

4. *Ed. Rhen.* actorum eiusdem insertis falsis, civitatibusque corruptis commentariis. *A coniectura mox pro* civitatibusque *editum* indubitateque. *Ursin. et Voss. retinendam priscam lectionem censuere Lipsio autem videbatur* - falsis commutatisque et corruptisque commentariis, *Boecl. Thys. aliique illud* indubitateque *dedere; neque tamen sic Boecl.*

eiusdem insertis tabulis immunitatibusque corrupti commentarii: atque omnia pretio [1] tentata, vendente rempublicam consule. idem provinciam D. Bruto designato Cos. decretam, Galliam occupare statuit: Dolabella transmarinas decrevit sibi. Interque naturaliter dissimillimos, ac diversa volentes [2] crescebat odium: eoque C. Caesar iuvenis [3] quo-
61 tidianis Antonii petebatur insidiis. Torpebat oppressa dominatione Antonii civitas; indignatio et dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat: cum C. Caesar, XVIIII annum ingressus [4], mira ausus, ac summa consecutus, privato consilio, maiorem Senatu pro republica animum habuit. pri-

locum persanatum putabat. * *Nos emendationem novam a vestigiis* MS. *minus aberrantem*, *rei*, *quam Cic. tractat Philipp.* II. *l. c. et orationi Velleianae aptam dare ausi sumus. Plura h. l. disputandi non locus.*

1. *Vulg.* temperata, *quod ineptum haud apte quidam defendunt. Heins. coniecit* temerata. *Sed iam ante Ursinus rectius censuit* tentata, *quod et scribebatur olim* temptata.

2. *Int. Antonium et iuvenem Caesarem. Simile dixit noster de Cic. et Clodio supra c.* 45.

3. *Decreto Senatus cautum*, ne quis eum puerum diceret, ne maiestas tanti imperii minueretur, *observant Casaub. ad Suet. Aug.* 12 *et Freinsh. ad Flor.* IV, 4 *ex Servio ad Virg. Ecl.* I, 44.

4. *Haud ingredi coeperat, sed agebat. Natus enim* IX *Kal. Oct. A. U. C.* 690, *et Caesar interfectus Id. Mart.* 709. *Flor.* IV, *ipsum tum* intra decem et octo annos stetisse *referens errat.*

mumque a Calatia, mox a Casilino veteranos excivit paternos [1]: quorum exemplum secuti alii, brevi in formam iusti coiere exercitus. mox cum Antonius occurrisset exercitui [2], quem ex transmarinis provinciis Brundisium venire iusserat, legio Martia et Quarta, cognita et Senatus voluntate et tanti iuvenis indole, sublatis signis ad Caesarem se contulerunt. Eum Senatus, honoratum equestri statua, quae hodieque in Rostris posita aetatem eius scriptura indicat, (qui honor non alii, per CCC annos, quam L. Sullae et Cn. Pompeio et C. Caesari contigerat) pro praetore [3], una cum Coss. designatis Hirtio et Pansa, bellum cum Antonio gerere iussit. id ab eo annum agente vicesimum, fortissime circa Mutinam administratum est: et D. Brutus obsidione liberatus: Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam: consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit [4]. Omnia ante quam fugaretur Anto- 62
nius, honorifice a Senatu in Caesarem exercitum-

1. *Cf. Tac. Ann.* I, 10, *init. ubi haec et sqq. acta Caes. Augusti a multis arguta leguntur.*

2. *h. e. ad exercitum venisset. Damnat vero Voss. Popmam ausum rescribere* exercitu; *quasi Antonius occurrisset Caesari Iuveni.*

3. *Sic plurimi cum Sigonio. Alii cum Manutio* propraetorem.

4. *Rumorem tum increbuisse, ambos dolo periisse, memorant Suet. c.* 11 *et qui ap. Tac. Ann.* I, 10 *facta Caesaris arguunt.*

que eius decreta sunt, maxime auctore Cicerone; sed, ut recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciae, quas iam ipsi sine ullo S. C. occupaverant, decretae. laudati quicumque his se exercitus tradidissent. omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. quippe M. Brutus et C. Cassius [1], nunc metuentes arma Antonii, nunc ad augendam eius invidiam, simulantes se metuere, testati edictis, *libenter se vel in perpetuo exsilio victuros, dum reipublicae constaret concordia, nec ullam belli civilis praebituros materiam, plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui*, profecti urbe atque Italia, intento ac pari animo, sine auctoritate publica, provincias exercitusque occupaverant, et *ubicumque ipsi essent*, praetexentes, *esse rempublicam*, pecunias etiam, quae ex transmarinis provinciis Romam ab quaestoribus deportabantur, a volentibus acceperant. quae omnia Senatus decretis comprehensa et comprobata sunt. Et D. Bruto, quod alieno beneficio viveret [2], decretus triumphus: Pansae atque Hirtii corpora pu-

1. *Cf. eorum literas ad Ant. in Cic. ad div.* XI, 2 *et* 3.

2. *Opportuna utitur ironia, cum dicit D. Bruto triumphum decretum esse, quod evaserit, non sua suique militis virtute, sed alieno beneficio, Caes. Octavii victoria; quod a Boecl. observatum est. cf. Flor.* IV, 4 *de bello Mutinensi.*

blica ſepultura honorata: Caeſaris adeo nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitum eius miſſi erant, iuberentur *ſummoto eo milites alloqui.* Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat Senatus. nam, cum eam iniuriam diſſimulando Caeſar ferret, negavere milites, *ſine imperatore ſuo ulla ſe audituros mandata.* Hoc eſt illud tempus, quo Cicero, inſito amore Pompeianarum partium, *Caeſarem laudandum et tollendum* [1] cenſebat; cum aliud diceret, aliud intelligi vellet [2]. Interim An- 63
tonius, fuga tranſgreſſus Alpes, [3] primo per colloquia, (repulſus a M. Lepido, qui pontifex maximus in C. Caeſaris locum furto creatus [4],

1. *Ambigue dictum, cum et laudare et de medio tollere ſignificet; vid.* Cic. *ad div.* XI, 20, *qua D. Brutus ad Cic. ſic ſcribit:* ipſum Caeſarem nihil ſane de te queſtum, niſi dictum, quod diceret te dixiſſe, laudandum adoleſcentem, ornandum, tollendum: ſe non eſſe commiſſurum, ut tolli poſſit. *cf. Cic. ad Attic.* XV, 5, *Suet. Aug. c.* 12.

2. *Similia ad h. l. notat Boecl. ex Tac. H.* I, 69; IV, 39.

3. *Eraſm. lectionem corruptam putans fecit* primo ſpe colloquii rep. a M. L. *quod eſt in ed. Gryph. Dein quidem reperita eſt priſca lectio, ſed perperam explicata. Nos ut ſenſum adiuvemus, ea, quae auctor interpoſuit, uncinis includimus: Primo autem Antonius non ſolum miſerabili habitu ad milites Lepidi proceſſit ſupplex, ſed et hi dein ad eum miſerunt internuntios, teſte Plut. in Ant.*

4. *Sc. poſt electionem a*

decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur) mox saepius in conspectum veniens militum, (cum et Lepido omnes imperatores forent meliores, et multis Antonius [1], dum erat sobrius) [2] per aversam castrorum, proruto vallo, militibus receptus est: qui titulo imperii cedebat Lepido, cum summa virium penes eum foret. Sub Antonii ingressum in castra Iuventius Laterensis, vir vita ac morte consentaneus, cum acerrrime suasisset Lepido, *ne se cum Antonio hoste iudicato iungeret*, irritus consilii, gladio se ipse transfixit. Plancus deinde dubia, id est, sua fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adiutor D. Bruti, designati consulis, collegae sui, Senatuique se literis venditans [3], mox eiusdem proditor; Asinius autem Pollio, firmus [4] proposito, et Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus; uterque exercitus tradidere An-
64 tonio. D. Brutus desertus primo a Planco, post etiam insidiis eiusdem petitus, paulatim relinquente

populo ad pontifices iterum translatam et neglectis maiorum institutis, teste Dione XLIV.

1. *Int. foret melior.*

2. *Alii* per aversa *fecere. Nos revocamus lectionem* MS. *ac Rhenan. et subaudimus* partem.

3. *Vid. Cic. ad div.* X, 8.

4. *Sic Cic. ad div.* XVII, 13 reliqui - neque opibus satis firmi, nec voluntate sunt. *Neque igitur tentes cum Acid.* propositi.

eum exercitu, fugiens, in hospitis cuiusdam nobilis viri, nomine [1] Cameli, domo, ab iis, quos miserat Antonius, iugulatus est; iustissimasque optime de se merito viro C. Caesari poenas dedit. cuius cum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, et fortunae, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat: censebatque aequum, quae acceperat a Caesare, retinere; Caesarem, quia illa dederat, [2] periisse. Haec sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inussit notas. sed hic fulgentissimo et coelesti ore; at tribunus Canutius [3] continua rabie lacerabat Antonium. [4] Utrique vindicta libertatis morte stetit: sed tribuni sanguine commissa proscriptio; Ciceronis [5], vel satiato Antonio

1. Camilli *legendum videtur*, *si fidem habeas App.* L. III *in fine*, *quem sequitur Freinsh. in suppl. Liv.* CXX, 14. *Schegkius male edidit* Capeni *ex Livii epit.* CXX, *ubi legitur* - ab Capeno Sequano interemptus est. *Sed Voss. ibi et h. l.* Camelii *scribendum censet ex inscriptt. Val. Max.* IV, 7, 10 *et* IX, 13, 3. Furium *missum dicit interfectorem. Neque igitur hunc cum hospite confundere velimus, quod Valesius ad Livium fecit.*

2. *Boecl. et Thys. maluerunt* perire. MS. *enim ambigue* peris; *unde Rhen. dupliciter conieceral.*

3. *De quo vide Cic. ad div.* XII, 3 *et Phil.* III, 9, *atque Cic. quo erat studio*, *Canutii* contentiones honestissimas *dicit.*

4. *Addit haec noster anticipando, quae c.* 66 *narrabit.*

5. *Scil. sanguine. Neque enim decet, quod vulgo fit,*

poenâ, finita. Lepidus deinde a Senatu hostis iu-
65 dicatus est, ut ante fuerat Antonius. Tum inter eum Caesaremque et Antonium commercia epistolarum; et conditionum [1] facta mentio. [2] Cum Antonius [3] subinde Caesarem admoneret, et quam inimicae ipsi Pompeianae partes forent, et in quod iam emersissent fastigium, et quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur; denuntiaretque, *se cum Bruto Cassioque, qui iam decem et septem legionum potentes erant, iuncturum vires suas, si Caesar eius aspernaretur concordiam*; diceretque, *plus Caesarem patris, quam se amici ultioni debere*: [4] tum inita potentiae societas. et

verba Ciceronis-poenâ *coniuncta credere. unde alii lectionem ipsam vexant. Sed missis eorum somniis malumus addere dicta Cremutii Cordi, historici, a Lips. ex M. A. Senecae Suasor.* VI, *parte altera*: Quibus (*int. capite Ciceronis manibusque abscisis*) visis laetus Antonius, cum peractam proscriptionem suam dixisset, (quippe non satiatus modo caedendis civibus, sed defectus quoque) pro rostris exponit.

1. *Sic Burer. et Man. Vulg.* iacta *haud bene defenduntur. Inania iaciuntur, non vera.*

2. *Dispungimus sqq. a prioribus (quibus male coniunguntur in edd. omnibus). Sic demum apparet, antecedens esse tripertitum, e quo consequatur dein, initam esse potentiae societatem. Cetera omnia ad hanc normam dirigimus.*

3. *Vulg. male ingeritur* et; *quod loco motum reduximus in suum, ante vocem* quam, *ut sic sit trisyndeton.*

4. MS. iur; *Rhen. conie-*

hortantibus orantibusque exercitibus, inter Antonium etiam et Caesarem facta affinitas; cum esset privigna Antonii [1] desponsa Caesari. consulatumque iniit Caesar pridie, quam viginti annos impleret X Kalend. Octobres [2], cum collega Q. Pedio, post V. C. annis DCCIX [3], ante LXXII quam tu, M. Vinici, consulatum inires. Vidit hic annus Ventidium [4], per quam urbem inter

cerat igitur, *quod alii dedere. nostrum a Burer. est, quod cum Lips. Boecl. Thys. cett. probamus.*

1. *Claudia, Fulviae ex Clodio filia; quam vix dum nubilem ductam, dein simultate cum socru exorta, virginem dimisit; cf. Suet. Aug. cap.* 62.

2. *Suet. c.* 31, *Dione et ipso SC. ap. Macrobium Saturn.* I, 12 *consulatum ei obtigisse mense Sextili, qui prior erat mense natali, perhibent. Sed Caesari absenti prius a Senatu consulatus delatus erat, quam, urbem ingressus, in Comitiis creatus consulatum iniisset.*

3. *Turbat annos Velleianos Gruner. rescribens ex monitu Manut. aeram Varron. sequentis* DCCXI. *Nos vulgatam retinemus rationi Catonianae consentaneam. hanc enim Vell. secutus est.*

4. *Ventidius Bassus, Picentes, humili loco natus, cum matre captus bello sociali, inde a Pompeio Strabone, Pompeii M. patre triumpho ductus, post ut vitam toleraret, mulio factus, Romae Caesari innotuit, cum eo in Galliam profectus, multa impigre fecit, tum trib. plebis, mox praetor, et quod rarum erat, eodem anno consul, praeterea pontifex factus, tandem de Parthis triumphavit; cf. Cic. ad div.* X, 24, 33 XI, 18. *Phil.* XII, 9 *et* XIII, 2.

captivos Picentium in triumpho ductus erat, in ea consularem praetextam iungentem praetoria. idem
66 hic postea triumphavit. Furente deinde Antonio, simulque Lepido, quorum uterque, ut praediximus, hostes iudicati erant, cum ambo mallent, sibi nuntiari, quid passi essent, quam quid emeruissent, repugnante Caesare, sed frustra adversus duos, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo [1] Cicero proscriptus est. abscisaque scelere Antonii vox publica est, cum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos publicam civitatis et privatam civium defenderat. *Nihil tamen egisti, M. Antoni:* (cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo ac pectore indignatio) *nihil, inquam, egisti, mercedem coelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reipublicae tantique consulis irritando* [2] *necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem solicitam, et aetatem senilem, et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam, dumque hoc vel forte vel providentia vel utcumque*

1. *Scil. Antonio*, *alii* ab illo. 2. *h. e. provocando.*

constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume: comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur; tuum in eum factum execrabitur; citiusque in mundo genus hominum, [1] *quam ille cedet.* Huius totius temporis 67
fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis potest. Id tamen notandum est, fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam [2]: adeo difficilis est hominibus utcumque conceptae spei mora [3]. Ne quid ullibi sanctum relinqueretur, velut in dotem [4] invitamentumque sceleris, Antonius L. Cae-

1. *Ed. princ.* quam cedet. *Deesse aliquid omnes suspicati sunt; et praeterea cedet mutarunt in* cadet. *Inde Rhen. ipse coniecit* quam huius nomen cadet; *Lips.* quam ea cadet; *Grut.* quam C. (*Cicero*) cadet. *Boxh.* quam ea (*scripta*) cadent; *aliꝰ aliter. Nos ex prioribus* ille *revocamus et retinemus* cedet *h. e. peribit; cui contrarium est illud* vivit vivetque.

2. *Exempla multa narrant Dio, App. Auget tamen rem noster; cum et pietatis filiorum, qui l. servaverint patres, l. eorum salutem sua morte quaesiverint, exempla, quamvis pauca, in iisque filius Ciceronis memorentur.*

3. *h. e. nihil fere morari (retinere) solet homines, quo minus spe imperii et vindictae cupidine rapiantur ad scelera.*

4. *Sc. mutuarum pactionum de dominatu, quas*

sarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater eius Plancus Plotius proscriberetur. eoque inter iocos militares, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, inter execrationem civium, usurpabant hunc versum: *De Germanis, non de*
68 *Gallis, duo triumphant consules* [1]. [Suo praeteritum loco referatur: neque enim persona umbram actae rei capit [2]. Dum in acie Pharsalica Africaque de summa rerum Caesar dimicat, M. Coelius [3], vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam, cum [4] ne modico quidem servari posset, (quippe peior illi res familiaris quam mens erat) in praetura novarum tabularum auctor extitit; nequiitque [5] Senatus et auctoritate Cos. deterreri:

Dio vocat διαλλαγας των δυναστων *Caesar concesserat Antonio Ciceronem; Antonius Caes et Lepido Paullum fratrem huius.*

1. Cap. 69 *redit ad persequenda haec, quibus interponit, quae supra in Iul. Caes. actis praeterierat. Igitur caput sequens intercludimus.*

2. *h. e. persona tanta est, ut acta eius oblivione tegi silentio praeteriri nequeant, nec debeant. Alii dictionem tentarunt, quod recte Burm. et Grun. vetant.*

3. *De quo vid.* Caes. *de* B. C. III, *c.* 20 - 22.

4. *Ita Voss. correxit vulg.* in modica; *eumque secuti omnes. Sed Freinsh. suppl. Liv.* CXL, 17 *extr. voluisse videtur* ne in otio q. s. p.

5. *Intacta relinquuntur sqq. in edd. nisi quod proCoss.*

accito etiam Milone Annio, qui non impetrato reditu Iulianis partibus infestus erat, in urbe seditionem, haud magis occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a republica; mox consularibus armis, auctore Senatu, circa Thurios [1] oppressus est. Incepto pari similis fortuna Milonis fuit; qui Compsam in Hirpinis [2] oppugnans, ictusque lapide, tum P. Clodio, tum patriae, quam armis petebat, poenas dedit; vir inquies, et ultra fortem temerarius [3]. Quatenus autem aliquid ex

(quod dedit Rhen.) ex Lipf. ratione rescriptum Cos. *quod unus tum absente Caesare esset in urbe consul*, *Servilius. Nos vero praeterea legimus:* nequiitque a conatis auctoritate Cos. deterreri; *cf. auct. qui has res scripsere.*

1. Thurii, *oppidum Italiae*, *prius* Sybaris, *postremum* Copiae *appellatum*, *ut Cellar. in Notitia O. A. docet ex Stephani epit. Sed et dein* Thuriorum *nomen praevaluit. Situm vero est in extrema Lucania ad fines Brutiorum ad sinum Tarent.*

2. Compsam in Hirpinis *refert Liv.* XXIII *Ptolem.* in Lucanis. (*hodie* Conza) *Sed Caesar de B. C.* III, 22 *de Milone inquit:* Cosam in agro Thurino oppugnare coepit; *et Plin.* II, 56 castellum Carissanum *memorat*, iuxta quod T. Annius Milo occisus est; *unde Cluver. deleto* ri *facit* Cassanum, *hodie* Cassano *Sed Harduino lenius videtur*, Carissanum *aliquod* castellum *in agro Thuriorum in Hirpinis et Compsae vicino credere Sed Thuriorum ager in extremis e diverso Lucanis fuit.*

3. *h. e.* temerarius *magis*, *quam* fortem *decet. Sic infra c* 118 ultra barbarum ingenio promtus; *c.* 88 mol-

omissis [1] peto, notetur: immodica et intempestiva libertate usos adversus C. Caesarem, Marullum Epidium, [2] Flavumque Caesetium trib. pleb. dum arguunt in eo regni voluntatem, paene vim dominationis expertos. in hoc tamen saepe lacessiti principis ira excessit, ut censoria potius contentus nota, quam animadversione dictatoria, summoveret eos a republica, testareturque, *esse sibi miserrimum, quod aut natura sua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas.* Sed ad ordinem revertendum
69 est]. Iam et Dolabella in Asia C. Trebonium consularem, cui succedebat, fraude deceptum Smyrnae occiderat; virum adversus merita Caesaris ingratissimum participemque caedis eius, a quo ipse in consulare provectus fastigium fuerat. et C. Cassius, acceptis a Statio Murco et Crispo Marcio, praetoriis viris [3], imperatoribus quippe, validis in

litiis ultra feminam fluens. *Sic etiam alii auctt. Facessere igitur iubet Gruterus Rhen. lectionem* ultra sortem.

1. *Heins. mavult* repeto.

2. *Alii male* Flaviumque, *quod gentilitium nomen. Sed* Flavus *cognomen fuit Caesetio, ac noster cognomina praeponere amat. cf. Suet. Caes.* 79. *Val. Max. V*, 7 *et Dio* XLIV *qui haec curatius narrat.*

3. MS. *s. ed. Rhen.* imperatoribus qui praevalidis i. s. l. *unde Manut. probante Vossio, coniecit* imperatoribusque praevalidis, *quod est vulg. Sed Schegk. abscise* prae. *Nos ex* qui prae *facimus* quippe. *Imperabant enim legionibus, quarum vi Q. Caecilio Basso Syriam eriperent. St. Murcus ex*

Syria legionibus, inclusum Dolabellam, qui praeoccupata Asia in Syriam pervenerat [1] Laodiceam, expugnata ea urbe, confecerat, (ita tamen, ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem daret), et decem legiones in eo tractu sui iuris fecerat. et M. Brutus C. Antonio fratri M. Antonii in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentes legiones extorserat: sed Antonium bello lacessierat, Vatinium dignatione obruerat [2]; cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur, et Vatinius nulli nomini [3] non esset postferendus. in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur: eratque septem legionibus validus. [4] Et

praetore Syriam habiturus tribus legg. et Cr. Marcius praetorius totidem legg. ex Bithynia adductis.

1. MS. Laodiceam expugnata ea urbe fecerat; *quod revocamus, nisi quod ex Gruneri coniectura reddamus* confecerat (*h. e. oppresserat*). *Rhen. vero cum legendum censuisset* - pervenerat, Laodicea expugnata interfecerat; *eum secuti sunt omnes, male; neque enim Dol. a Cassio interfectus, sed a servo suo ipse interfici voluit. Nos rectius cuncta intercidimus, ut stet* MS. *fides. quidni vero verbum dupliciter iungi posse credas* in Syriam - Laod. *cum et dicatur*, venire ad aliquem oratum, comissatum, *quae supina pro accusativis sunt? Immo Catull. ad Veran.* IX, 3 Venistine domum ad tuos penates *etc.*

2. *f. obscuraverat prorsus.*

3. *h. e. nemini alicuius nominis viro.*

4. *An* Ex?

lege Pedia, quam conſul Pedius, collega Caeſaris, tulerat, omnibus, qui Caeſarem patrem interfecerant, [1] aqua ignique damnatis interdictum erat. quo tempore Capito [2], patruus meus, vir ordinis ſenatorii, Agrippae ſubſcripſit in C. Caſſium. Dumque ea in Italia geruntur, acri atque proſperrimo bello Caſſius Rhodum, rem immanis operis [3], ceperat: Brutus Lycios devicerat: et inde in Macedoniam exercitus traiecerant; cum per omnia repugnans naturae ſuae Caſſius etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias, quos aut pronior Fortuna comitata ſit, aut veluti fatigata maturius deſtituerit, quam Brutum et Caſſium. Tum Caeſar

1. *l.* damnatis *anteponendum verbis* aqua ignique, *quod cenſet Grun. l. omittendum, quod Pet. Delben. teſte Man. Niſi Vell. ſcripſiſſet, velimus* cauſa indicta damnatis int.

2. *Lipſius ſuſpicatus eſt eundem cum Icto nobili et adulatore Principum Ateio Capitone, quam Tac. Ann.* III, 75 *ad an.* 775 *obiiſſe refert. Id falſum eſſe vidit Voſſ. ſed concedit, patruum Vell. potuiſſe in familiam Ateiam tranſire. Sed et ſic potuit adoptari in* Fonteiam, *indeque* Capitonis *cognomen habere. Coniecimus hinc ſupra p.* 98. *Velleii patruum poſſe eundem haberi cum Capitone Fonteio, Antonii amico, quem ut ad unguem factum ridet Horat.* Serm. V, 1, 31. *Sed haec incerta ſunt.*

3. *Conflaverat ibi ex auro et argento Rhodiorum* VIII *millia talenta; et inſuper* Io *aliis civitatem multaverat, teſte Plut. in Bruto cap.* 32.

et Antonius traiecerunt exercitus in Macedoniam, et apud urbem Philippos cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Cornu, cui Brutus praeerat, impulsis hostibus castra Caesaris cepit. nam ipse Caesar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, *ne in castris remaneret*, manifeste denuntiatione quietis [1] territo. Id autem, in quo Cassius fuerat, fugatum ac male mulcatum in altiora se receperat loca. Tum Cassius ex sua fortuna eventum collegae aestimans, cum dimisisset evocatum [2], iussissetque nuntiare sibi, *quae esset multitudo ac vis hominum, quae ad se tenderet*, tardius eo nuntiante, cum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque pulvere facies aut signa denotari possent; existimans, hostes esse, qui irruerent, lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto [3] praebuit. Deciderat Cassii caput; cum evocatus advenit, nuntians, *Brutum esse victorem*. qui cum imperatorem prostratum videret, *sequar*, inquit, *eum, quem mea occidit tarditas*; et ita in gladium [4] incubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus: et victus acie, cum in

1. *h. e. somnio. Cic. de div.* II, *c.* 25.

2. Titinium *vocat Plut. in Bruto c.* 43.

3. Pindaro. *Sed nemo eum post hanc caedem vidit, teste Plut. l. c. unde aliis dubitatum, an iussus fecerit.*

4. *Lips. et ab eo alii male* occubuit.

tumulum nocte ex fuga se recepisset, impetravit a Stratone Aegeate, familiari suo, ut manum morituro commodaret sibi; reiectoque laevo super caput brachio, cum mucronem gladii eius dextera tenens, sinistrae admovisset mammillae, ad eum ipsum locum, qua cor emicat; impellens se in vul-
71 nus, uno ictu transfixus exspiravit. [1] Corvinus Messalla, fulgentissimus iuvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, cum essent, qui eum ducem poscerent, servari beneficio Caesaris maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius. nec aut Caesari quidquam ex victoriis suis fuit laetius, quam servasse Corvinum; aut maius exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Caesarem fuit. Non aliud bellum cruentius caede clarissimorum virorum fuit. tum Catonis filius cecidit. eadem Lucullum Hortensiumque [2] eminentissimorum civium filios fortuna abstulit. [3] nam Varro ad ludibrium moriturus Antonii, digna

1. *Vulg.* protinus; *quod parum huc congruens Schefer. priori capiti additum voluerat. Nos emendamus in* Corvinus. *Cognomen praeponit semper Vell. eoque solo mox eundem iterato vocat.*

2. Hortensium, *quem magis quam Brutum caedis C. Antonii, manibus Ciceronis mactati, arguebat M. Antonius, hic ad sepulchrum fratris interfici iussit. cf. Plut. in Ant. c.* 22.

3. *Locus corruptus, quem editores omittunt. Lips. quidem vidit, haec non congruere in M. Ter. Varro-*

illo ac vera de exitu eius magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius, Iuliae Augustae [1] pater, et Varus Quinctilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit; Varus autem liberti, quem id facere coëgerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, iugulatus est. Hunc exitum M. Bruti partium septi- 72
mum et tricesimum annum agentis Fortuna esse voluit: corrupto animo eius in diem [2], quae illi om-

nem, doctissimum Romanorum, qui quamvis proscriptus, superfuit tamen his cladibus, neque etiam pugnae Philippensi interfuit. Nos coniicimus: Favonius ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu eius (*Ant.*) m. c. l. om. est *Obtexit, credimus, noster, quae Suet. Aug. c.* 13 *refert de Caesare, a M. Fav. spreto, ac solo Ant. Imp. salutato; cui is pro libertate sua (erat enim Catonis s. aemulus s. simia cf. Plut. in Bruto c.* 34 *extr.) exitum ominatus fuerit, ut Caesarem, a quo metuendum foret Antonio, simul conviciis proscinderet, cf. scriptt. bell. civ. Ita quoque Brutus ipse ad Attic. Antonii exitum vaticinatus erat, teste Plut. l. c.* 29 *extr.*

1. *Quae ante adoptionem in Iuliam domum Livia dicebatur; cf. Tac. Ann.* V, 1 *et de patre Tab.* III. *Annal. Tom.* II *ed. Bip. subiunctam.*

2. *Sc. Iduum Martiarum s. in caedem Caesaris, quo usus erat amicissimo. Corruptus vero erat s. inductus a Cassio spe libertatis publicae reparandae, qua nil ipsi videbatur pulchrius. Ita mutatus ille in diem, dein rursus virtutem secutus est. Nihil igitur h. l. tentandum censemus.*

nes virtutes unius temeritate facti abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus: e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium: in altero maior vis, in altero virtus. qui si vicissent; quantum reipublicae interfuit, Caesarem potius habere quam Antonium principem, tantum retulisset habere Brutum quam Cassium. Cn. Domitius, (pater L. Domitii, nuper a nobis visi [1], eminentissimae ac nobilissimae simplicitatis [2] viri, avus huius Cn. Domitii clarissimi iuvenis [3]) occupatis navibus, cum magno sequentium consilia sua comitatu, fugae fortunaeque se commisit, semetipso contentus duce partium. Statius Murcus, qui classi et custodiae maris praefuerat, cum omni commissa sibi parte exercitus naviumque Sex. Pompeium, Cn. Magni filium, qui ex Hispania revertens, Siciliam armis occupaverat, petit. ad quem e Brutianis castris et ex Italia, aliisque terrarum partibus, quos praesenti periculo for-

1. *Lenius sic dicit pro* nuper *(an. 778)* defuncti, *de quo Tac. l. c.* ipse delectus, cui minor Antonia, Octavia genita, in matrimonium daretur.

2. *Tangit ruditatem, in qua Domitiae, gentis nobilissimae, viri, ut hodie principum multi, maiorem laudem ponunt, quam in artibus; ferendam, modo sit ingenua. Fuit ille aurigandi arte in adolescentia clarus; dein triumphalia adeptus ex bello Germ. cf. Suet. Ner. cap.* 14.

3. *Qui ex Agrippina Germanici f. genitor Neronis exstitit.*

tuna ſubduxerat, proſcripti confluebant. quippe nullum habentibus ſtatum [1] quilibet dux erat idoneus; cum fortuna non electionem daret, [2] perfugium oſtenderet; exitialemque tempeſtatem fugientibus ſtatio pro portu foret. Hic adoleſcens erat 73
ſtudiis rudis, ſermone barbarus, impetu ſtrenuus, manu promtus, [3] cogitatione celer, fide patri diſſimillimus, libertorum ſuorum libertus, ſervorumque ſervus, ſpecioſis invidens, ut pareret humillimis. quem Senatus, paene totus adhuc e Pompeianis conſtans partibus, poſt [4] Antonii a Mutina fugam, eodem illo tempore, quo Bruto Caſſioque tranſmarinas provincias decreverat, revocatum ex

1. *Int.* vitae, *l.* fortunae. *Sic ſupra c.* 2 omnibus ſtatum concupiſcentibus. *Liv.* XXV, 1 Si non libertas ſervitute potior ſit, tamen omni praeſenti ſtatu ſpem cuique novandi res ſuas blandiorem eſſe. *Plin. paneg. c.* 34 nulla teſtamenta iam ſecura, nullius ſtatus certus *etc.*

2. *Eraſm. ingeſſit h. l.* ſed; *quod cum Burm. et Grun. omittimus.*

3. *Sic Rhen. pro* cogitator, *quod eſt in* MS. *Infra c.* 118. — manu fortis, ſenſu celer.

4. MS. Antonii Amutinam fugam. *Rhen. dederat* Antonianam f. *ſed feliciue reſtituit Burer. cf. ſupra c.* 61 *extr. Poſt hanc fugam receptumque a Lepido Antonium nuncii miſſi a Senatu ad Sextum Pompeium in Hiſpan. aeque et ad Brutum Caſſiumque in prov. tranſmarinas, ut Reip. ſubvenirent. Fruſtra igitur Grun. movet ſcrupulos, qui in nugas abeunt.*

Hispania, (ubi adversus eum clarissimum bellum Pollio Asinius praetorius gesserat) in paterna bona restituerat, et orae maritimae praefecerat. Is tum ut praediximus [1], occupata Sicilia, servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum modum legionum effecerat: perque Maenam et Menecratem, paternos libertos, praefectos classium, latrociniis ac praedationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, cum eum non depuderet, vindicatum armis ac ductu
74 patris sui mare infestare piraticis sceleribus [2]. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, Antonius transmarinas obiturus provincias substitit: Caesar in Italiam se recepit, eamque longe quam speraverat tumultuosiorem reperit. quippe L. Antonius consul vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quae interdum in illo erant, expers, modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos, qui iuste, divisione praediorum ordinatisque coloniis, agros amiserant, ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat. Ex altera parte uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre praeter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat. haec belli sedem Praeneste ceperat: Antonius pulsus undique viribus Caesaris Perusiam se contulerat; Plancus Antoniarum adiu-

1. c. 72.
2. *Flor.* IV, 8 *O quam diversus a patre! ille Cilicas extinxerat; hic secum piratas navales agitare.*

tor partium, ſpem magis oſtenderat auxilii, quam
opem ferebat Antonio. Uſus Caeſar virtute et for-
tuna ſua, Peruſiam expugnavit; Antonium invio-
latum dimiſit. in Peruſinos magis ira militum,
quam voluntate ſaevitum ducis. urbs incenſa;
cuius initium incendii princeps eius loci fecit Ma-
cedonicus [1]. qui, ſubiecto rebus ac penatibus
ſuis igni, transfixum ſe gladio flammae intulit. Per 75
eadem tempora exarſerat in Campania bellum, quod,
profeſſus eorum, qui perdiderant agros, patroci-
nium, ciebat Tib. Claudius Nero, praetorius et
pontifex, Tib. Caeſaris pater, magni vir animi
[2] doctiſſimique ingenii. id quoque adventu Caeſa-
ris ſepultum atque diſcuſſum eſt. Quis fortunae
mutationes, quis dubios rerum humanarum caſus
ſatis mirari queat? quis non diverſa praeſentibus
contrariaque exſpectatis aut ſperet aut timeat? Li-
via nobiliſſimi et fortiſſimi viri Druſi Claudiani fi-
lia, genere, probitate, forma Romanarum emi-
nentiſſima, (quam poſtea coniugem Auguſti vidi-
mus [3], quam tranſgreſſi ad deos ſacerdotem, ac

1. *Ceſtius* Macedonicum *ſe appellaverat, quod in Macedonia olim militaſſet.*

2. *Cave tentes cum Scheffero et Grun.* tectiſſimique; *quod ſane abſonum eſt. Vulg. ſe optime habet et eſt* prudentis *ſ.* callidi. Ingenium doctum *diverſum eſt ab illo rudi ſ. ſimplici, quod fuit Domitiorum, S. Pompeii etc.*

3. *Iam enim obierat.*

filiam [1]) tum fugiens mox futuri sui Caesaris arma, vix bimum hunc Tiberium Caesarem, vindicem Romani imperii, futurumque eiusdem Caesaris filium, gestans sinu, per avia itinerum, vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, et cum viro Nerone
76 pervecta in Siciliam est. Quod alieno testimonium redderem, [2] in eo non fraudabo avum meum. quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos CCCLX iudices loco a Cn. Pompeio [3] lectus, eiusdem, Marciqne Bruti ac [4] Tib. Neronis praefectus fabrum, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis a Neapoli, cuius, ob singularem cum eo amicitiam, partium adiutor fuerat, gravis iam aetate et corpore [5] cum comes esse non posset, gladio se ipse transfixit. Inviolatam excedere Italia Caesar passus Fulviam, Plancumque muliebris fugae comitem. nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonii Venetia, magnis

1. *Ut adsumtam in fam. Iul. cf. Tac. Ann.* I, 8, II, 1. *Eandem Augusti inter Deos relati sacerdotem constitutam refert Dio L.* LVI.

2. *Al. omittunt* τὸ in; *quod possit ferri, ut alia eius generis, in quibus* τὸ in *imitatur Graec.* κατὰ; *v. g. Plaut. Asin.* II, 4, 94. Neque deceptus in eo.

3. *Grut. mavult* lectos.

4. *Vulg. corrupte* Tironis.

5. *Voculam* cum *absorptam in* MS. *sq. voce* comes, *restituit Lips. Alii tamen nugari pergunt.*

ſpecioſiſque rebus circa Altinum, aliaſque eius regionis urbes, editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digreſſum e Brutianis caſtris poſt caedem eius praediximus [1], et propriae claſſis factum ducem, conſiliis ſuis illectum, ac fide data, iunxit Antonio. Quo facto, quisquis aequum ſe praeſtiterit, ſciat non minus a Pollione in Antonium, quam ab Antonio in Pollionem, eſſe collatum. Adventus deinde in Italiam Antonii, [2] praeparatuſque contra eum Caeſaris habuit belli metum: ſed pax circa Brundiſium compoſita. Per quae tempora Rufi Salvidieni ſceleſta conſilia patefacta ſunt [3]. qui natus obſcuriſſimis initiis, parum habebat ſumma accepiſſe, et proximus a Cn. Pompeio ipſoque Caeſare, ex equeſtri ordine conſul creatus eſſe; niſi in id aſcendiſſet, [4] e quo infra ſe et Caeſarem videret, et rempublicam. Tum expoſtulante con- 77
ſenſu populi, quem gravis urebat, infeſto mari, annona, cum Pompeio quoque circa Miſenum pax

1. *Supra c.* 72.

2. *Vocem hanc* IV *decl. non tenens, quam et Gell. habet* X, II in praeparatu rei ruſticae. *Mox alii contra* MS. *male invertunt ordinem verborum* Caeſ. contr. eum.

3. *Liv. ep.* CXXVII Q. Salvidienum conſilia nefaria contra Caeſarem molitum, indicio ſuo protraxit (*Antonius*), iſque damnatus mortem ſibi conſcivit.

4. *Vulg. omittunt* e; *cum ſit in* MS. equo. *Sed Puteani emendationem, Voſſio probatam Burm. et Grun. receperunt.*

inita: qui haud abſurde cum in navi Caeſaremque et Antonium coena exciperet, dixit, *in carinis ſuis ſe coenam dare*, referens hoc dictum ad loci nomen[1], in quo paterna domus ab Antonio poſſidebatur. In hoc pacis foedere placuit Siciliam Achaiamque Pompeio concedere. in quo tamen animus inquies manere non potuit: id unum tantummodo ſalutare adventu ſuo patriae attulit, quod omnibus proſcriptis aliiſque, qui ad eum ex diverſis cauſis fugerant, reditum ſalutemque pactus eſt. quae res et alios clariſſimos viros, et Neronem Claudium, et M. Silanum, Sentiumque Saturninum et Aruntium, ac Titium, reſtituit reipublicae. Statium autem Murcum, qui adventu ſuo claſſiſque celeberrimae vires eius duplicaverat, inſimulatum falſis criminationibus, quia talem virum collegam officii Maena et Menecrates faſtidierant, Pompeius
78 in Sicilia interfecerat. Hoc tractu temporum Octaviam ſororem Caeſaris M. Antonius duxit uxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in tranſmarinas provincias. quas magnis momentis[2] Labienus, ex Brutianis caſtris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonii, concuſſerat: qui[3] virtute et ductu

1. Carinae *erat nomen vici Rom. ad pedem clivi Capitolini.*

2. *h. e. motibus. proprie* momentum *eſt, quod movendi vim habet, velut pondus in lance.*

3. *Int. Labienus.*

Ventidii, una cum Parthorum copiis, celeberri-
moque iuvenum Pacoro regis filio, extinctus eſt.
Interim Caeſar per haec tempora, ne res diſciplinae
inimiciſſima, otium corrumperet militem, crebris
in Illyrico Dalmatiaque expeditionibus, patientia
periculorum belliqne experientia durabat exerci-
tum. Eadem tempeſtate Calvinus Domitius, cum
ex conſulatu obtineret Hiſpaniam, graviſſimi com-
parandique antiquis exempli auctor fuit. quippe
primipili centurionem, nomine Vibillium, ob tur-
pem ex acie fugam, fuſti percuſſit. Creſcente in 79
dies et claſſe et fama Pompeii, Caeſar molem belli
eius [1] ſuſcipere ſtatuit. aedificandis navibus, con-
trahendoque militi ac remigi, navalibuſque adſueſ-
cendo certaminibus atque exercitationibus, prae-
fectus eſt M. Agrippa, virtutis nobiliſſimae [2],
labore, vigilia, periculo invictus, parendique,
ſed uni [3], ſcientiſſimus, aliis ſane imperandi cupi-
dus, et per omnia extra dilationes poſitus, con-
ſultiſque facta coniungens. hic in Averno ac Lu-
crino lacu ſpecioſiſſima claſſe fabricata, quotidia-
nis exercitationibus militem remigemque ad ſum-
mam et militaris et maritimae rei perduxit ſcien-
tiam. Hac claſſe Caeſar, cum prius, deſpondente ei

1. *Boecl. edit. mendum paſſa, quod ſqq. retinuere* ſuſpicere.

2. *h. e. qui ignobilis loco, virtute ſua nobilitavit novitatem.*

3. *Scil. Principi, et quidem Auguſto.*

Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam auſpicatis reipublicae ominibus duxiſſet uxorem, Pompeio Siciliaeque bellum intulit. Sed virum humana ope invictum, graviter eo tempore fortuna concuſſit. quippe longe maiorem partem claſſis, circa Veliam Palinurique promontorium, adorta vis Africi laceravit ac diſtulit. Ea patrando bello mora fuit, quod [1] poſt induſtria, et interdum ancipiti fortuna geſtum eſt. nam et claſſis eodem loco vexata eſt tempeſtate, et ut navali primo praelio apud Mylas ductu Agrippae pugnatum proſpere, ita inopinato claſſis adventu gravis ſub ipſius Caeſaris oculis circa Tauromenium [2] accepta clades; neque ab ipſo periculum abfuit. Legiones, quae cum Cornificio erant, legato Caeſaris, expoſitae in terra, paene a Pompeio oppreſſae ſunt. Sed ancipitis fortuna temporis matura virtute correcta. explicatis quippe utriuſque partis claſſibus, paene omnibus exutus

1. *Vulg.* poſt ea dubia et i. *Acid. voluit* poſtea dubia interd. et anc. *Burm.* dura et interd. anc. *Wopkenſ.* anceps εμφατικωτερον *quam* dubium *monet. Sed ipſe tamen Vell. mox* fortunam ancipitis temporis *opponit* maturae virtuti. *Itaque malimus* induſtria, et int. *Nunquam ſuper induſtriam fortuna fuit. Induſtria vero opponitur et priori* morae *et dein* fort. ancipiti *ſ.* dubiae. *Tac. Annal.* XII dubia *opponit* proſperis; *Hor.* IV, 9, 6 *eadem* ſecundis.

2. *Sic et Ptolem. Sed aliis* Tauromenia *dicitur. Siciliae colonia, priſcis* Naxus *vocata.*

navibus Pompeius Asiam fuga petivit: iussuque M. Antonii cuius opem petierat, dum inter ducem et supplicem tumultuatur, et nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio iugulatus est [1]. cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in theatro Pompeii faciens, execratione populi, spectaculo, quod praebebat, pelleretur. Acciverat, gerens contra Pompeium 80
bellum, ex Africa Caesar Lepidum cum XII semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque ulla virtute tam longam fortunae indulgentiam meritus, exercitum Pompeii, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Caesaris auctoritatem ac fidem, sibi iunxerat: inflatusque amplius XX legionum numero, in id furoris processerat, ut inutilis [2] in aliena victoria comes, quam diu moratus erat, diffidendo in consiliis [3] Caesaris et semper diversa his, quae aliis placebant, dicendo, totam victoriam ut suam interpretaretur: audebatque denuntiare Caesari, *excederet Sicilia.* Non

1. *Mileti, ut habent Flor. Appian. et Strabo* L. III.

2. *Al.* alienae victoriae c. *Utrique lectioni favet* MS. *in quo est* in alienae victoriae comes.

3. *Sic Rhen. nec bene correxerunt Acid. in* Caesari, *ut referatur ad verbum, quod secuti sunt Burm. et Grun. Nobis* consilia *Caesaris sunt consilia bellica, ab iis qui imperatoribus aderant, celebrata. Noster pro suo ingenio consiliarios magis refert ad Caes. quam ad Lepid.*

ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum, quidquam ausum patratumque fortius, quam tunc a Caesare. quippe cum inermis et lacernatus esset, praeter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, evitatis, quae iussu hominis pravissimi tela in eum [1] acta erant, cum lacerna eius perforata esset lancea; aquilam legionis rapere ausus est. Scires quid interesset inter duces. armati inermem secuti sunt: decimoque anno, quam ad [2] dissimillimam vitae suae potentiam pervenerat, Lepidus et a militibus et a fortuna desertus [3]; pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentium ad Caesarem turbam latens, genibus eius advolutus est. vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata, quam tueri non poterat, dignitas.

81 Subita deinde exercitus seditio (qui plerumque contemplatus frequentiam suam, a disciplina desciscit, et, quod cogere se putat posse, rogare non sustinet) partim severitate, partim liberalitate discussa Principis. Speciosumque per id tempus adiectum supplementum Campanae coloniae. [4] eius reditus

1. *Sic Rhen. dedit censetque Burm. Alii* iacta.

2. MS. ad in dissimillimam vita sua: *illud* in *est ex margine adscriptum a correctore, ac dein a librario iniquo loco repositum videtur. Nobis placeret* ad diss. menti suae pot. *Erat enim Lep. segni ad agendum mente et incerta.*

3. *Tac. Ann.* I, 2 *vel uno verbo graphice dicit* exutum Lep. *sc. armis.*

4. *Locus corruptus, in*

erant publici: pro his longe uberiores reditus duodecies HS in Creta insula redditi, et aqua permissa, quae hodieque singulare et salubritatis instar [1] et amoenitatis ornamentum est. Insigne coronae classicae, quo nemo umquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit [2]. Victor deinde Caesar reversus in urbem, contractas emtionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, *publicis se usibus destinare* pro-

quo sanando iam alii frustra versati sunt. Nos tentamus: ei agri relicti erant. publice pro his *cet. Factum certe saepe, ut in occursu similium syllabar. altera absorberetur; et sic ex* ei agri *fieri potuit* eius. Agri *vero relicti erant a pristinis possessoribus, quorum magnus numerus his temporibus perierat. Eandem rem Dio L.* XLVIII *narrat his verbis, quae latine damus:* Atque ita milites tunc quidem composuit, et argentum statim, agros non multum post iis dedit. Quoniam enim publici, qui tunc erant, non sufficiebant, etiam alios emit a Campanis illis, qui Capuam incolunt; eosque multos (multis enim colonis indigebat ea urbs) et ipsis aquam Iuliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Gnosiam (in Creta) qua etiam nunc fruuntur, eorum loco dedit. *

1. *Quasi efficiens salubritatem.*

2. *Consentiunt nostro haec adiicienti Liv. epit.* CXXIX, *Dio L.* XLIX, *et Seneca de benef.* III, 32. *Diffidet Plin. H. N.* VII, 30 *et* XVI, 4 *M. Ter. Varroni coronam navalem ex piratico bello a Pompeio M. datam antea, tradens.*

feſſus eſt [1]; templumque Apollini, et circa porticus, facturum promiſit, quod ab eo ſingulari exstructum munificentia eſt. [2] Qua aeſtate Caeſar tam
82 proſpere in Lepidum in Sicilia, bene fortuna in Caeſare et Republica militavit ad Orientem. quippe Antonius cum XIII legionibus ingreſſus Armeniam, ac deinde Mediam, et per eas regiones Parthos petens, habuit regem eorum obvium. primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis tormentiſque

1. *Sc. quod fulmine tactus fuerat locus, eumque ſic a Deo deſiderari, reſponderant haruſpices.*

2. *Locus corruptus; a nemine bene ſanatus, a Boeclero aliiſque deſertus. neque vero verba* in Lepidum *leguntur in* MS. *ſed pro iis Rhen edidit* -proſpere * Libium *cet. et in margine* Lepidum; *quod rec. edd. Addidit Boecl. praep. deditque* in Lep. *quod hodie eſt vulg. Sed minus latinum eſſe* militavit in Lep. *recte animadvertit Chriſtius Noct. Acad. Obſ.* II, *p.* 39 *cetera acu non tangit. Neque tam militaverat contra Lep. quam eum armis exuit, ſed deviceret Pompeium. Itaque potius permixtionem eveniſſe credimus in* MS. *e priori aliqua emend. margini a correctore adſcripta, dein a librario male, nec ſuo loco ingeſta. ſcriptum fuiſſe a noſtro conjicimus:* qua a. C. t. pr. militavit in Sicilia, bene fortuna in Caeſarem labitur; ob oriente; *fracto ſc. Antonio. an malit quis retenta priori vulgatae parte, legere* - non bene fortuna ſine Caeſare et rep. militavit ad Orientem; *antequam bellum illaturus eſſet Caeſari reip. vel* libidine Antonii fortuna receſſit a rep. ad Orientem. *Sed incerta ſunt omnia; cf. Flor. et Plut. in Ant.*

et Statiano legato amisit: mox saepius ipse, cum summo totius exercitus discrimine, ea adiit pericula, e quibus servari se posse desperaverat; amissaque non minus quarta parte militum, captivi cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide servatur: qui clade Crassiani exercitus captus, cum fortunam, non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam; praedixitque *ne destinatum iter peterent, sed diverso silvestrique pervaderent.* Hoc M Antonio [1] ac tot illis legionibus saluti fuit: de quibus tamen, totoque exercitu, haud minus pars quarta, ut praediximus, militum, calonum servitiique desiderata tertia est, impedimentorum vix ulla superfuit. hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, *victoriam* vocabat. qui tertia aestate reversus in Armeniam, regem eius Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset [2], aureis vinxit. Crescente deinde et amoris in Cleopatram incendio, et vitiorum, quae semper facultatibus licentiaque et assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriae inferre constituit; cum ante, *novum* se *Liberum patrem* appellari iussisset. tum redimitus hederis, coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriae.

1. *Rhen.* acto illis; *unde* atque illis. *Heinsius nostrum invenit. Schegk. et Boecl. legebant*

2. *Cf. Curt.* V, 12, 20.

83 Inter hunc apparatum belli, Plancus, non iudicio recta legendi, neque amore reipublicae aut Caesaris, (quippe haec semper impugnabat,) sed morbo proditor, cum fuisset humillimus assentator reginae, et infra servos cliens, cum Antonii librarius, cum obscoenissimarum rerum et auctor et minister, [1] cum in omnia et omnibus venalis, cum caeruleatus et nudus, caputque redimitus arundine et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset [2], in convivio refrigeratus [3] ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Caesarem. et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur; dictitans, *id probatum a Caesare*, cui ille ignoverat. [4] mox autem hunc avunculum Titius imitatus est. Haud absurde Coponius, vir praetorius gravissimus, P. Silii socer, cum re-

1. *Rhen.* cum in omnia et in o. v. *Sed hoc in omisere Erasm. et sqq. Lips. exponit*, ad omne facinus et *quidem* omnibus *sine discrimine* venalem *fuisse.*

2. *h. e. saltando repraesentasset. cf. Hor. Serm.* I, 5, 63. *Suet. Ner.* 54. *De Glauco, quem ex homine fabula fecit Deum marinum; vid. Nat. Com. Mythol.* VIII, 4.

3. *Coniunge verbum cum superiori voce* Plancus, *qui iam frigere s. fastidiose haberi coepit ab Antonio. Ita Seneca ep.* 123. Vatienus Montanus et amicitia Tiberii et frigore *etc. quem locum inter alios laudat Lips.*

4. *Sic Lips. et Burm. cum teste Burer.* MS. *habeat* mox autem hunc mox avunculum. *Al. cum Rhen.* Hunc mox avunc.

ceņs transfuga, multa ac nefanda Plancus abſenti Antonio in Senatu obiiceret; *Multa*, inquit, *me hercules fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres.* Caeſare deinde et Meſſalla Corvino Coss. 84
debellatum apud Actium; ubi, longe ante quam dimicaretur, exploratiſſima Iulianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator; illa marcebant omnia: hinc [1] remiges firmiſſimi; illinc inopia adfectiſſimi: navium [2] hinc magnitudo modica cum celeritate adverſa; illa ſpecie terribilior: hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caeſarem quotidie [3] aliqui transfugiebant. denique in ore atque oculis Antonianae claſſis per M. Agrippam Leucas expugnata, Patrae captae, Corinthus occupata, bis ante ultimum diſcrimen claſſis hoſtium ſuperata. Rex [4] Amyntas meliora et utiliora ſe-

1. *Ita feliciter emendat Lipſ. quod Rhen. dederat* regis. *Cum Ant. fecerant cuncti fere reges et dynaſtae. ſed pauciores coegerat* remiges; *ex iiſque tertia pars fame perierat. cf. infra c.* 85 in altera parte fuere dux, remiges, milites; in altera nihil praeter milites.

2. *Manut. ex* haec, *quod dedit Rhen. invenit* hinc, *et ex* modicave *fecit* modica cum. *Sed emendatio progrediatur. Vulg. enim* adverſa a celeritate *interciditur; legiturque contra initam ab auctore diſtinguendi rationem* adverſa illa. *Nobis vero eſt* celeritas adverſa *h. l. contraria modicae magnitudini. Quo minor haec erat, eo maior illa.*

3. MS. aliquid transfugiebat.

4. *Lycaoniae et Galatiae*

cutus, [5] nam Deillius exempli sui tenax, iuti a Dolabella, ad Caesarem accessere: virque clarissimus

1. *Ed. Rhen.* nam de illius exemplis vitae naxuta Dolabella ad Caesarem. *ex his male l. divulsis l. coniunctis partem veri pulchre invenit Lips. Is enim a Plut. in Ant. c.* 59, *Q. Deillium historicum transiisse et ex Dione L.* I *eundem cum Amynta rem (quos scil. Anton. in Thraciam et Macedoniam ad conducendos mercede milites una miserat) fuisse, prius quam transirent, edoctus, Senecae patris Suasor.* 1 *locum attulit, e quo emendatio procederet. Ita vero Seneca,* — Deillius - quem Messalla Corvinus desultorem bellorum civilium vocat. quia ab Dolabella ad Cassium transiturus, salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset; et a Cassio deinde transivit ad Antonium, novissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. *Fuit ille dein interioris admissionis ap. Aug. Senec. de Clem.* I, 10, *et ex amicis Horatii, Carm.* II, 3. *Inde Lips. vere emendavit, quod damus* nam *(h. e.* sed*)* - tenax; *sed quae ille porro coniecit*, ut a Dolabella ad Cassium, *claudicant. Quis enim non desideret verbum, aut cetera transfugia, siquidem ea memorare voluit Velleius? Neque igitur suo hoc commento contentus Lips., aliud pro illo dedit, quod hodie vulgat. est*, et illo bello, *quod quidem satis otiosum putamus, nedum quod verba* ad Caesarem *(antea ab ipso male mutata) nunc plane omittat. Quidni potius legamus* iuti a Dolabella *(fuit enim tum Corn. Dolabella inter Caesaris amicos; cf. Plut. in Ant. c.* 85*)* ad Caesarem accessere; *quod verbum prioribus simile ideo absorptum, credibile est. Sic certe vestigia lectionis* MS. *quam proxime sequimur.*

Cn. Domitius, qui ſolus Antonianarum partium,
numquam reginam, niſi nomine [1], ſalutavit, ma-
ximo et praecipiti periculo tranſmiſit ad Caeſarem.
Advenit deinde maximi diſcriminis dies, quo Caeſar 85
Antoniuſque productis claſſibus, pro ſalute alter,
in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Dextrum
navium Iulianarum cornu M. Lurio commiſſum,
laevum Aruntio, Agrippae omne claſſici certaminis
arbitrium. Caeſar ei parti deſtinatus, in quam a
fortuna vocaretur, ubique aderat: claſſis Antonii
regimen Publicolae Soſioque commiſſum. At in
terra locatum exercitum Taurus Caeſaris, Antonii
regebat Canidius. Ubi initum certamen eſt, om-
nia in altera parte fuere, dux, remiges, milites;
in altera nihil praeter milites. prima occupat fu-
gam Cleopatra: Antonius fugientis reginae, quam
pugnantis militis ſui, comes eſſe maluit; et impe-
rator, qui in deſertores ſaevire debuerat, deſertor
exercitus ſui factus eſt. illis etiam detracto capite,
in longum fortiſſime pugnandi duravit conſtantia:
et deſperata victoria, in mortem dimicabatur. Cae-
ſar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere
cupiens, clamitanſque et oſtendens, '*fugiſſe An-
tonium*, quaerebat, *pro quo et cum quo pugna-
rent?* at illi, cum diu pro abſente dimicaſſent
duce, aegre ſubmiſſis armis ceſſere victoriam: ci-
tiuſque vitam veniamque Caeſar promiſit, quam

1. *Sc. Cleopatrae.*

illis, ut ea precarentur, persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. [1] Viden' ut e suo, an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad eius arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terra fecit exercitus, cum se Ca-
86 nidius praecipiti fuga rapuisset ad Antonium. Quid ille dies terrarum orbi praestiterit, ex quo in quem statum pervenerit Fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Victoria vero fuit clementissima: nec quisquam interemtus est, nisi paucissimi, et hi, qui ne deprecari quidem pro se sustinerent. ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus sui, aut in campis Philippiis, si [2] sic licuisset, victoriae suae facturus fuerit [3] modum. [4] At Sosium L. Aruntii, prisca gravitate celeberrimi, fides, [5] mox diu clementia luctatus sua Caesar, servavit incolu-

1. *Ed. Rhen.* videbit e suo; *pro quo Rhen. voluit* Viderit e suo; *quod rec. Grun. Sed Burerio placuit* ut dubites suone, an *etc. quod vulgo editum. Neutrum cum sqq. congruit. Igitur corrigimus in formulam tali in re sollennem.*

2. *Ita Rhen. e* MS. *Vulg. omittunt* sic.

3. *Vocem hanc, quae deest in* MS. *Rhen. in margine supplet. Burerius eumque secuti male* triumphum.

4. *Ed. Rhen. ac sqq. habent corrupte* ad solium alarunt in pr. gr. *Inde Putean. verum restituit, quod Vossio et Boeclero gratulantibus dein receptum est. Consentit Dio L. I.*

5. *Verba tentantur ab* Heinsio, *neque satis constant.*

mem. Non praetereatur Asinii Pollionis factum et dictum memorabile. namque cum se post Brundisinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset umquam reginam, aut post enervatum amore eius Antonii animum, partibus eius se miscuisset, rogante Caesare, *ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum*; *Mea*, inquit, *in Antonium maiora merita sunt*, *illius in me beneficia notiora: itaque discrimini ve-*
stro me subtraham, *et ero praeda victoris*. Pro- 87
ximo deinde anno persecutus reginam Antoniumque Alexandriam, ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit; adeo ut multa desidiae crimina una morte redimeret. At Cleopatra, frustratis custodibus, illata [1] aspide, morsus sanie eius, expers muliebris metus spiritum reddidit. Fuitque et fortuna et clementia Caesaris dignum, quod nemo ex his, qui contra eum arma tulerant, ab eo iussuve eius sit interemtus [2]. D. Brutum Antonii interemit crude-

Sensus sit: mox iram clementia eluctatus sua C. servavit inc. *An ut Heins. coniicit?* Mox diu eluctatum (*sollicitum*) clem. s. C. cer. *Graviter autem offenderat Caesarem hoc anno ineunte C. Sosius Cos. dein profectus ad Antonium, inter eius duces agens.*

1. *Vulg.* ill. aspide, morsu sane eius, *in quo emendando nemo felicius versatus est Tho. Munkero; quem sequimur. Aliorum nugas omittimus. Brachium vero morsui praebuerat, non sinum. Plut. in Ant. c.* 87.

2. *Vanus h. l. est Velleius. Iam enim Antonii, fi-*

litas. Sex. Pompeium, ab eodem victum, idem Antonius, cum dignitatis quoque servandae dedisset fidem, etiam spiritu privavit. Brutus et Cassius, ante quam victorum experirentur animum, voluntaria morte obierunt. Antonii Cleopatraeque quis fuisset exitus, narravimus. Canidius timidius decessit, quam professioni eius, qua semper usus erat, congruebat. Ultimus autem ex interfectoribus Caesaris Parmensis Cassius morte poenas dedit, ut dederat Trebonius [1]. Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum, M. Lepi-
88 derat Trebonius [1]. Dum ultimam bello Actiaco
Alexandrinoque Caesar imponit manum, M. Lepidus iuvenis forma quam mente melior, Lepidi eius, qui triumvir fuerat reipublicae constituendae, filius, Iunia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in urbem revertisset, Caesaris consilia inierat. Tunc urbis custodiis praepositus C. Maecenas, equestri sed splendido genere natus: vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti

lium maiorem ex Fulvia Antyllum, *Iul. Caesaris ex Cleopatra filium* Caesarionem, *innoxios pueros*, Curionem Aquilium *filium pro patre se offerentem, nec tamen sic servato*, P. Canidium, Cassium Parmensem, Q. Ovinium *teste historia occidi iussit.*

1. *Man. h. l. inserit* primus, *quod respondeat* τῷ ultimus. *Is vero primo anno necis Caesar. mature a P. Dolabella, sed perfide in potestatem redactus ac biduo excruciatus est. An forsan Parmensis pariter longos cruciatus passus est?*

possent, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens [1]: non minus Agrippa Caesari carus [2], sed minus honoratus (quippe vixit [3] angusti clavii persona contentus); nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit. hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem praecipitis consilia iuvenis, et mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium. et ille quidem male consultorum poenas exsolvit. Aequetur [4] praedictae iam Antistii, Ser-

1. *Vide, quam Archomimus ille s. artium et ingeniorum elegantium Deus sibi indulserit, ap. Tac. Ann.* I, 54 *Senec. ep.* 101 *et* 114.

2. *Ad ultimum tamen* speciem magis in amicitia Principis quam vim tenuit *teste Tacito Ann.* III, 30 *extr.*

3. *Vulg.* angusto clavo paene contentus, *quod omnibus corruptum videtur. Sed ed. Rhen. et sqq.* angusti clavi paene. *Lips. quidem probabat correctionem in cas. sextum, sed volebat* plane *s.* bene. *Alii alia coniecerunt, varie improbabilia tuendo cum casu sexto; et nos illud* paene *ex nota scribendi* psona *ortum credimus. Vox certe aptissima. Uncinis autem includimus quod interpositum est, ut sqq.* nec minora *etc. etiam comparate scil. ad Agrippam dici, pateat. Alii enim vexarunt verba.*

4. *Ed. princ.* praedictae iam Antistiae. *Dixit scil supra c.* 26 *extr. de Calpurnia Antistii, quae coniugi necato superesse noluit. Inde alii pro* iam *indidere* Calpurniae. *Nostrum est a Voss.*

vilia Lepidi uxor [1], quae vivo igni devorato [2], praematuram mortem immortali nominis sui pensa-
89 vit memoria. Caesar autem reversus in Italiam atque urbem, quo occursu, quo favore omnium hominum, aetatium, ordinum exceptus sit, quae magnificentia triumphorum eius, quae fuerit munerum, ne in operis quidem iusti materia, nedum huius tam recisi, digne exprimi potest. Nihil deinde optare a diis homines, nihil dii hominibus praestare possunt; nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in urbem, reipublicae populoque Romano terrarumque orbi [3] repraesentaverit. Finita vicesima

1. *Dio L.* XLIV *extr. Antoniam, Triumviri filiam, nuptam fuisse Lepido iuniori docet; hinc Lips. et Voss. illa l. spreta l. mortua Lepidum superduxisse Serviliam censent. Plut. in Ant. extr. Antonii liberos recensens nihil de filia nupta Lepido habet.*

2. *Eodem mortis genere Porcia, audito coniugis Bruti exitu usa traditur Val. Max.* IV, 66 *et Plut. in Bruto extr. qui praeter Valerium laudat Nicolaum philosophum. Sed idem Plut. ambiguum id facit, epistolam quamvis incertam laudans, qua Brutus uxorem suam lamentatus est. Quemcumque exitum habuerit Porcia; silentium Val. Max. de hac Servilia non impediat, quo minus fidem habeamus certiori Velleio Voss. huc trahit Aelian. H. V. L.* XIV, 45 *legique vult* Σερυιλιαν *pro* Κικιλιαν.

3. *Sic ed. princ. Alii descivere ad* repraesentavit.

anno bella civilia, ſepulta externa, revocata pax, ſopitus ubique armorum furor [1]: reſtituta vis legibus, iudiciis auctoritas, Senatui maieſtas [2]; imperium magiſtratuum ad priſtinum redactum modum; tantummodo octo praetoribus allecti duo; priſca illa et antiqua reipublicae forma revocata [3]. Rediit cultus agris, ſacris honos, ſeveritas hominibus, certa cuique rerum ſuarum poſſeſſio; leges emendatae utiliter, latae ſalubriter; Senatus ſine aſperitate nec ſine ſeveritate lectus [4]; principes viri, triumphiſque et ampliſſimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam urbem illecti ſunt [5]. Conſulatus tantummodo uſque ad undecimum, quem

1. *Sed is quoque iam, iudicante verius Tacito Ann.* I, 2. poſito Triumviri nomine, conſulem ſe ferens et ad tuendam plebem Tribunicio iure contentum, ubi militem donis populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit; inſurgere paulatim *etc.*

2. *Pergit Tacitus:* inſurgere paulatim munia Senatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo adverſante *etc. Subſidia dominationi adſumſit collegas imperii, conſortes tribunitiae poteſtatis et conſularis ex familia ſua, legionibus impoſitos; conſiliumque interius ſ. participes ſecretorum inſtituit etc. cf. idem c.* 3.

3. *Tac. l. c.* Domi res tranquillae: eadem magiſtratuum vocabula *c.* 4. Igitur verſo civitatis ſtatu, nihil unquam priſci et integri moris: omnes exuta aequalitate Principem aſpectare.

4. *Cf. Suet. Aug. c.* 35.

5. *Cf. eund. c.* 29 *et Tac. Ann.* I, 72.

continuaret, cum ſaepe obnitens repugnaſſet, impetrari potuit. nam dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus, tam conſtanter repulit [1]. Bella ſub imperatore geſta, pacatuſque victoriis terrarum orbis, et tot extra Italiam domique opera, omne aevi ſui ſpatium impenſurum in id ſolum opus ſcriptorem [2] fatigent. Nos memores profeſſionis, univerſam imaginem principatus eius oculis animiſque [3] ſubiecimus.

90 Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus, coaleſcentibuſque reipublicae membris, [4] egit curam externorum, quae tam longa annorum ſeries laceraverat. Dalmatia, viginti et du-

1. *Scil. potentiam ipſam quaerens, aſpernatus metuenda nomina*, cuncta, *ut Tac. ait*, diſcordiis civilibut feſſa, nomine *Principis* ſub imperium accepit.

2. *Al. mendoſe* fatigans.

3. *Lipſ. mavult* ſubiiciemus, *quo non opus eſt.*

4. *Ed. princ. corrupte* et coram aliero, quae *cet. (quod Gruner. reddidit)*; *unde* et coram altero, quae *quod Man. aliique potius tollendum putarunt*; *Lipſ. emendat* et curante eo *ſc. Auguſto*; *Voſſ.* eo curante ſerio. *Nos aliam rationem ex iis, quae iam narrabit* externa, *uti Flor.* IV, 12, *invenimus. Tac. hiſt.* I, 79 *ait:* converſis ad civile bellum animis, externa ſine cura habebantur. *Ita iam compoſitis civium bellis Caeſar tranſiit ad curam externorum ſ. provinciarum. Sulla aliam rationem ſecutus cf. ſupra c.* 24 repulſoque externo metu, ubi quod alienum eſſet, viciſſet, ſuperaret, quod erat domeſticum. *Forſan et malis h. l.* alienorum *pro* externorum: *perinde enim eſt.*

centos [1] annos rebellis, ad certam confessionem [2] pacata est imperii. Alpes, feris [3] inultisque nationibus celebres, perdomitae. Hispaniae, nunc ipsius praesentia, nunc Agrippae, (quem usque in tertium consulatum, et mox collegium tribunitiae potestatis, amicitia Principis evexerat) multo varioque Marte pacatae. in quas provincias cum initio Scipione et Sempronio Longo Coss. primo anno secundi Punici, abhinc annos CCL, Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione Africani patruo, per annos CC in his multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut [4] amissis Populi Romani tot imperatoribus exercitibusque, saepe contumelia, etiam nonnumquam periculum Romano inferretur imperio. illae enim provinciae Scipiones

1. *Vocem* annos *quae deest in ed. pr. reddimus post Voss. Primum vero in Illyr. et Dalm. bekum Romanis esse coepit an.* 522 (524) *Tib. auspiciis Aug.* 741-743 *Dalmatiam revocavit ad imperii et tributi Rom. patientiam.*

2. *Iam supra c.* 39 *similiter:* At Ti. Caesar - certam - confessionem Illyriis Dalmatiisque extorsit.

3. *h. e. tutis eoque indemnibus, multa tentantibus nec facile ulciscendis cf. Curt.* III, 4, 4. *Ita autem emendamus, cum vulg. sit* multisque.

4. *Ita ab Erasmiana vulg. cum ed. princ. habuisset* amissis praetor imperatoribus ex. *Voss. malebat* praetoriis et imperatoriis ex. *sed repugnat ei sequens Ducum amissorum recensio.*

consumserunt; illae contumelioso [1] XX annorum bello sub duce Viriatho maiores nostros exercuerunt; illae terrore Numantini belli, populum Romanum concusserunt; in illis turpe Q. Pompeii foedus turpiusque Mancini, Senatus cum ignominia dediti imperatoris rescidit: illa tot consulares, tot praetorios absumsit duces; patrumque aetate, in tantum Sertorium armis extulit, ut per [2] quinquennium diiudicari non potuerit, Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris, et uter populus alteri pariturus foret. Has igitur provincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos ferme L perduxit Caesar Augustus, ut, quae maximis bellis numquam vacaverant, eae sub C. Antistio, ac deinde P. Silio legato ceterisque postea, etiam latrociniis vacarent.

91 Dum pacatur Occidens; ab Oriente ac Rege Parthorum signa Romana, quae Crasso oppresso Oro-

1. *Numerum, qui verum excedit, corrigebat Lips. (et Freinsh. ad Flor.* II, 17, 18) *ex Iustin.* XLIV, 2, 8 In tanta seculorum serie nullus illis (*Hispanis*) dux magnus, praeter Viriatum, qui annis X Romanis varia victoria fatigavit. *Sed Lips. epit.* LIV, *Flor. et Oros. annos fecere* XIV *belli Viriathini Appian.* VIII *ab anno* 606, *quo id proprie coepit, computans.*

2. *Constat numerus, si ab an.* 675 *quo a Lusitanis vocatus in Hispania bellavit ad eius necem an.* 680 *ducas. Neque igitur vexare debuit Lips. quod Sertorianum bellum fuerit octenne.*

des, quae Antonio pulso filius eius Phraates ceperant, Augusto remissa sunt: quod cognomen illi viro [1] Planci sententia consensus universi Senatus populique Romani indidit [2]. Erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent. quippe [3] L. Murena, et Fannius Caepio, diversis moribus (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Caepio et ante hoc pessimus), cum inissent occidendi Caesaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant, iure passi sunt. Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam senatori propior, collecto in aedilitate favore populi, quem extinguendis privata familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem, ut ei praeturam continuaret [4], mox etiam consulatum petere ausus, cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia [5] mersus, nec melior illi res familiaris, quam mens foret, aggregatis simillimis sibi, in-

1. *Plenius nomen* Munatii Planci.

2. *Cf. Suet. Aug. c.* 7.

3. *Suet. Aug.* 19 Varro Murena *plenius dicitur.*

4. Ei (*h. e. aedilitati*) continuaret (*h. e. coniungeret*) pr. *ita ut praeter leges absque intervallo ex Aedili fieret Praetor.*

5. *h. e. societate.* Conscientia *scelerum pro foedere habetur ap. Tac. Ann.* VI, 4. *idemque saepius sic utitur, ut alii auct. et ipse noster. Addimus ex Cic. Phil.* XIII, 36 parumque videtur omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confiteri? *Ita nihil h. l. tentandum est cum Heinsio, aut cum aliis nugandum.*

terimere Caesarem statuit, ut quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. quippe ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere, quam sua proteri, et idem passurus, minus conspici. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit: addictusque carceri, cum consciis facinoris, mortem dignissimam vita sua obiit. Praeclarum excellentis viri factum C. Sentii Saturnini, circa ea tempora consulis, ne fraudetur memoria. Aberat ordinandis Asiae Orientisque rebus Caesar, circumferens terrarum orbi praesentia sua pacis suae bona: tum Sentius, forte et solus [1] et absente Caesare, consul, cum alia, prisca severitate summaque constantia, vetere consulum more ac severitate, gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam, regessisset in aerarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis praecipuum egit consulem. nam et quaesturam petentes, quos indignos iudicavit, *profiteri* vetuit; et, cum id facturos se perseverarent, *consularem, si in campum descendissent, vindictam* minatus est; et Egnatium, florentem favore publico, sperantemque, ut praeturam aedilitati, consulatum praeturae se iuncturum, *profiteri* vetuit; et cum id non obtinuisset,

92

1. *In urbe, quod uti superiori anno 733 factum erat, locus reservabatur Caesari, qui ipse consulatum gerere recusans, dein Q. Lucretium designavit consulem alterum.*

iuravit, *etiam ſi factus eſſet conſul ſuffragiis populi, tamen ſe eum non renuntiaturum.* Quod ego factum cuilibet veterum conſulum gloriae comparandum reor, niſi quod naturaliter audita viſis laudamus libentius [1]; et praeſentia invidia, praeterita veneratione proſequimur; et his nos obrui [2], illis inſtrui credimus. Ante triennium fere quam 93
Egnatianum ſcelus erumperet, circa Murenae Caepioniſque coniurationis tempus, abhinc annos L, M. Marcellus ſororis Auguſti Octaviae filius, (quem homines ita, ſi quid accidiſſet Caeſari, ſucceſſorem potentiae eius arbitrabantur futurum, ut tamen id per M. Agrippam ſecuro ei poſſe contingere non exiſtimarent [3]) magnificentiſſimo munere aedilitatis edito, deceſſit admodum iuvenis; ſane, ut aiunt, ingenuarum [4] virtutum, laetuſque animi et ingenii, fortunaeque, in quam alebatur, capax [5]. Poſt cuius obitum Agrippa, qui ſub ſpecie miniſteriorum principalium profectus in Aſiam, ut fama lo-

1. *Tac. Ann.* II *extr.* dum veteraex tollimus, recentium incurioſi.

2. *h. e. obſcuramur magnitudine virtutis alienae; (ut ſupra c.* 69 dignatione obruerat*) in eoque offendimur.*

3. *Addit hoc Vell. ut, legentes avertat a fama, quae Liviam cauſam mortis Marcelli ferebat, diſerte tradente* Dione L. III. *cf. Senec. conſol. ad Mart. c.* 2.

4. *Alias* generoſarum.

5. *Sic Tac. H.* II, 1: ipſius Titi ingenium quantaecumque fortunae capax.

quitur, ob tacitas cum Marcello offenſiones, praeſenti ſe ſubduxerat tempori, reverſus inde filiam Caeſaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem [1], feminam neque ſibi, ne-
94 que reipublicae felicis uteri. Hoc tractu temporum Tib. Claudius Nero, (quo [2] trimo, ut praediximus, Livia Druſi Claudiani filia, deſpondente Nerone, cui ante nupta fuerat, Caeſari nupſerat) innutritus coeleſtium praeceptorum diſciplinis, iuvenis genere, forma, celſitudine corporis, optimis ſtudiis, maximoque ingenio inſtructiſſimus, qui protinus, quantus eſt, ſperari potuerat, viſuſque [3] praetulerit principem, quaeſtor undeviceſimum annum agens capeſſere coepit rempublicam: maximamque difficultatem annonae, ac rei frumentariae

1. *Iuſſus ab Aug. dimittere Pomponiam, Attici f. Secutus, teſte Dione, Aug. mitiorem partem conſilii, quod Maecenas inſuſurraverat:* Agrippam iam tantum feciſti, ut vel gener tibi aſciſcendus vel occidendus ſit.

2. *Ed. pr.* primo; *Man. recte emendabat* trimo; *Schegk. male* prius, *Lipſ.* bimo. *quod Thyſius dedit, Boecl. fluctuat. Errant vero, qui verba* ut praediximus, *referri putant ad c. 75, ubi dictum de Livia fugiente vix bimo Tib. Sed h. l. revocantur, quae c. 79 iiſdem fere verbis de Livia uxore ducta narravit, quo tempore Tib. trimus erat.*

3. *h. e. ſi faciem vidiſſes, videri potuit Princeps. Tanta in adoleſcente perſonae maieſtas, ſi intempeſtive blandientem Vell. audimus. Alii eius verba fruſtra tentant.*

inopiam; ita Oſtiae atque in urbe mandato vitrici moderatus eſt; ut per id, quod agebat, quantus evaſurus eſſet, eluceret. Nec multo poſt miſſus ab eodem vitrico cum exercitu ad viſendas ordinandaſque, quae ſub Oriente ſunt, provincias, praecipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingreſſus Armeniam, redacta ea in poteſtatem P. R. [1] regnum eius Artavaſdi dedit: cuius rex quoque Parthorum tanti nominis fama territus, liberos ſuos ad Caeſarem miſit obſides.
Reverſum inde Neronem, Caeſar haud mediocris 95

1. *Corrupta ſunt ſqq. hiſtoriae repugnant, neque ſic a Vell. ſcripta videntur. Et, indice Voſſ. in* MS. *legitur* Artanzdi dedit: *quod autem tum ſequitur* cuius, *id plane offendit legentes. Ex Tac. Ann.* II, 3 *ſq. et Ioſ. Antt.* XV, 4 *diſcimus, poſt Artavaſden, ab Ant.* III *viro captum et interfectum, eius filium Artaxiam adiutum ab Arſacidis occupaſſe regnum; eoque caeſo, a Tiberio datum eſſe Armeniis Tigranem. Dio hanc hiſt. confundit, et quem illi Artaxiam vocant,* Artabazem *dicit; niſi Artavaſden, Artaxiae filium, poſt patris exitum regnare coepiſſe, (quod Froelich in Notitia numorum ant. p.* 182 *ſumit) et hunc potius eiectum eſſe credas, cum Tigrani, fratri Artaxiae, regnum daretur a Tiberio; cf. Suet. Tib* 9, *Velleium certe, qui mox C. Caeſarem in Armeniam comitatus eſt (cf.* infra c. 101*) erraſſe incredibile eſt. Itaque ſanandum locum ſic cenſemus:* regnum eiecto Artavaſde (*l.* Artaxia) dedit Tigrani. (*Si enim credas* tis *ſcriptum fuiſſe, facile id verti potuit in* cuius) Rex quoque cet.

belli molem experiri, ſtatuit, adiutore operis dato fratre ipſius Druſo Claudio, quem intra Caeſaris penates enixa erat Livia [1]. quippe uterque, diviſis partibus Rhaetos Vindelicoſque adgreſſi, multis urbium et caſtellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum ſanguine perdomuerunt. Ante quae tempora cenſura Planci et Paulli, acta inter diſcordiam, neque ipſis honori, neque reipublicae uſui fuit: cum alteri vis [2] cenſoria, alteri vita deeſſet; Paullus vix poſſet implere cenſorem, Plancus timere deberet, ne quidquam obiicere poſſet adoleſcentibus, aut obiicientes au-
96 dire, quod non agnoſceret ſenex [3]. Mors deinde Agrippae [4] (qui novitatem ſuam multis rebus nobilitaverat, atque in hoc perduxerat, ut et Neronis eſſet ſocer [5]; cuiuſque liberos, nepotes ſuos, D. Au-

1. *Tertio novi coniugii menſe. hinc tum Romanus ille verſiculus vulgabatur:* τοις ευτυχουσι και τριμηνα παιδια: Fortunatis et trimeſtres naſcuntur liberi.

2. *Recte ſic Burm. Ed. pr.* cenſori alt. *Vulg.* cenſoris.

3. *Int. ſe ipſum admiſiſſe.*

4. *Alterius ex aemulis, quibus conflictatus eſt Tib. cf. Tac. Ann.* VI, 51. *Obiit autem A. U.* 742.

5. *Habuit enim Tib. Vipſaniam Agrippinam, Agrippae ex Pomponia Attici fil. gnatam, quam dimittere coactus demum duxit Iuliam Auguſti f.*

gustus, praepositis Caii ac Lucii nominibus adoptaverat) admovit propius Neronem Caesari. quippe filia eius Iulia, quae fuerat Agrippae nupta, Neroni nupsit. Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa Marcoque Vinicio avo tuo Coss. magnum atroxque et perquam vicinum imminebat Italiae, per Neronem gestum est. (Gentes Pannoniorum, Dalmatarumque nationes, situmque regionum ac fluminum, numerumque et modum virium, excelsissimasque et multiplices eo bello victorias tanti imperatoris, alio loco explicabimus. hoc opus servet formam suam). Huius victoriae compos Nero, ovans triumphavit [1]. Sed dum in hac parte 97
imperii omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades [2] sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiore, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo; amissaque legionis V aquila, vocavit ab

1. *Eadem coniuncta dictione utitur noster adulandi causa, (an quod ovans curru ingressus Tib. cf. Schildium ad Suet. Tib. 9) infra c.* 122. Proprie tamen *(ait Servius ad Virg. Aen.* IV*)* Ovatio est minor triumphus; *et., adnotante Vossio, a Dionys. Hal. L.* IX *etc. et Eusebio Chron.* 1985 *dicitur* triumphus pedestris. *Idem Vossius laudat ex Val. Max.* II, 3 - neque aut ovans aut curru triumphavit. *Alii tamen legunt*, ovavit aut tr.

2. *Et Tac. Ann.* I, 10 *iungit* Lollianas Varianasque clades, *cf. Suet. Aug.* 23, *Dio* LIII.

Urbe in Gallias Caesarem. Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druso Claudio fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria [1] percipit; cuius ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est: morum certe dulcedo ac suavitas, et adversus amicos aequa ac par sui aestimatio, inimitabilis fuisse dicitur. nam pulchritudo corporis proxima fraternae fuit. Sed illum, magna ex parte domitorem Germaniae, plurimo eius gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, consulem, agentem annum tricesimum, rapuit [2]. Moles deinde eius belli translata in Neronem est, quod is sua et virtute et fortuna administravit, peragratusque [3] victor omnes partes Germaniae, sine ullo detrimento commissi exercitus (quod praecipue huic duci semper curae fuit) sic perdomuit eam, ut in formam paene [4] stipendiariae redigeret provinciae.

1. *Sic recte ed. pr. et est: penitus capit, totos occupat. Praeter rem igitur mutavit Lips. in* perficit; *quod est vulg. cf. supra c.* 2, *p.* 128.

2. *Liv. epit.* 40 *Flor.* IV, 12, 23-28. *Sed et Tac.* II, 82.

3. *Deponens pro* et cum peragrasset.

4. *Et tamen nimius es, Velleii! Ipse Tib. (ap. Tac. Ann.* II, 26) *ad Germanicum scribit*, se novies a D. Aug. in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. sic Sugambros in deditionem acceptos. *Et Suet. Tib. c.* 9 Germanico (*sc. bello*) quadraginta millia deditorum traiecit in Gal-

Tum alter triumphus, cum altero consulatu, ei oblatus est [1]. Dum ea, quae praediximus, in Pannonia Germaniaque geruntur; atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem [2] habemus, virtus compressit. quippe legatus Caesaris triennio cum his bellavit: gentesque ferocissimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum: eiusque patratione Asiae securitatem, Macedoniae pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac praedicandum est, esse mores eius [3] vigore ac lenitate mixtissimos, et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis, quae agenda sunt, curet, sine ulla ostentatione agendi. Brevi interiecto spatio Tib. Nero, duobus consulatibus

98

99

liam, iuxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocavit.

1. *Suet. l. c. quas ob res et ovans et curru urbem ingressus est, cf. supra ad c. 96 extr.*

2. *h. e. praefectus urbi creatus ab Aug. id munus* 20 *annos gessit, praecipua gloria. Fato obiit an.* 785 *imp. Tiberio; cf. verum eius laudatorem, Tac. Ann.* VI, 10 *et* 11.

3. *Putean. malebat* rigore; *probant Urs. Acid. Voss. aliique. Sed auctor ipse mox exponit* lenitatem *per otii studium, curamque ab ostentatione omni alienam,* vigorem *per curam negotiis parem intentamque.*

totidemque triumphis actis, tribunitiae potestatis consortione [1] aequatus Augusto, civium post unum (et hoc, quia volebat) eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus, et vere alterum reipublicae lumen et caput, mira quadam et incredibili atque inenarrabili pietate, (cuius caussae mox detectae sunt, cum C. Caesar sumsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset [2] viribus, ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis [3]) dissimulata causa consilii sui, commeatum ab socero atque eodem vitrico acquiescendi a continuatione laborum petiit. Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi, quae digredientium a tanto viro omnium lacrimae, quam paene ei patria manum iniecerit, iusto servemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos [4] Rhodi moratum, ut omnes, qui pro consulibus legatique, in transmarinas profecti provincias, visendi eius gratia undique convenientes,

1. *In quinquennium.*

2 *Vulg.* viris; Heinsius *fecit* curis.

3. *Tac. Ann.* I, 53 Fuerat (*Iulia Aug.*) in matrimonio Tiberii, florentibus Caio et Lucio Caess. spreveratque ut imparem, nec alia tam intima causa Tiberio, cur Rhodum abscederet; *idem* I, 4 ne iis quidem annis, quibus Rhodi, specie secessus, exulem egerit, aliquid, quam iram, et simulationem, et secretas libidines meditatum, *multos disseruisse scribit.*

4. *Inde ab A. U.* 748 *h Varron.* 749.

semper privato (si illa maiestas privata umquam fuit) fasces suos summiserint, fassique sint, *otium eius honoratius imperio suo.* Sensit terrarum orbis, 100
digressum a custodia Neronem urbis. nam et Parthus desciscens a societate Romana, adiecit Armeniae manum; et Germania, aversis domitoris sui oculis, rebellavit. At in Urbe, eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis, D. Augustus, abhinc annos XXX, se et Gallo Caninio Coss.[1] dedicato Martis templo, animos oculosque P. R. repleverat, foeda dictu memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia eius Iulia[2], per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil, quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit: magnitudinemque fortunae suae peccandi licentia metiebatur; quidquid liberet, pro licito vindicans. Tum Iulus Antonius, singulare exemplum clementiae Caesaris, violator eius domus, ipse sceleris a se commissi ultor fuit[3]: quem, victo eius patre, non tantum incolumitate donaverat, sed sacerdotio, praetura, consulatu, provinciis, honoratum, etiam matrimonio sororis suae

1. *A. U.* 752, *cum Iulia (nata an.* 715*) an. ageret* 38*; quod Lips. ex Macrobio contra Dionem ostendit.*

2. *Cf. Tac.* I, 53. *Suet. Aug.*65. *Senec. de Ben.* VI, 32.

3. *Sed Tac. Ann.* IV, 44 ob adulterium Iuliae morte punitum *dicit. An damnatus mortem sibi consciuit?*

filiae in artiſſimam adfinitatem receperat: Quinctiuſque Criſpinus, ſingularem nequitiam ſupercilio truci protegens, et Appius Claudius, et Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique minoris nominis, utriuſque ordinis viri, quaſi cuiuslibet uxore violata, poenas pependere; cum Caeſaris filiam et Neronis violaſſent coniugem. Iulia relegata in inſulam [1], patriaeque et parentum ſubducta oculis, quam tamen comitata mater Scribonia [2], volunta-
101 ria exſilii permanſit comes. Breve ab hoc interceſſerat ſpatium, cum C. Caeſar, ante aliis provinciis ad viſendum obitis, in Syriam miſſus, convento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem, ut ſuperiori, habuit, tam varie ſe ibi geſſit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat. Cum rege Parthorum [3] iuvenis excelſiſſimus, in inſula, quam amnis Euphrates ambiebat, aequato utriuſque partis numero, coiit. quod ſpectaculum ſtantis ex diverſo, hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum et hominum coirent capita, perquam clarum et memorabile, ſub initia ſtipen-

1. *Pandatariam.*

2. *Auguſti coniux ante Liviam.*

3. *Ed. pr.* iuvene excelſiſſimae inſulae *cet. Inde Eraſm. fecit* iuvene excelſiſſimo in inſula, *quod vulg. editur. Sed rectius vidit Lipſ. quem ſequimur; cum Phraates rex P. non iuvenis, ſed ſenex tum fuerit. Aliorum nugas omittimus.*

diorum meorum, tribuno militum mihi viſere con-
tigit. quem militiae gradum ante ſub patre tuo,
M. Vinici, et P. Silio auſpicatus, in Thracia Ma-
cedoniaque, mox Achaia Aſiaque, et omnibus ad
Orientem [1] viſis provinciis, et ore atque utroque
maris Pontici latere, haud iniucunda tot rerum,
locorum, gentium, urbium recordatione perfruor.
Prior Parthus apud Caium in noſtra ripa, poſterior
hic apud regem in hoſtili epulatus eſt. Quo tem- 102
pore M. Lollii, quem veluti moderatorem iuventae
filii ſui Auguſtus eſſe voluerat, perfida et plena ſub-
doli ac verſuti animi conſilia [2], per Parthum indi-
cata [3] Caeſari, fama vulgavit. cuius mors intra
paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro.
Sed quam hunc deceſſiſſe laetati homines, tam paul-
lo poſt, obiſſe Cenſorinum in iiſdem provinciis,
graviter tulit civitas, virum demerendis homini-
bus genitum. Armeniam deinde ingreſſus, prima
parte introitus proſpere rem geſſit; mox in collo-
quium (cui ſe temere crediderat) circa [4] Artage-

1. *Sic ex ed. pr reſcripſit Schegk. cum eius loco irrepſiſſet* verſis.

2. *Loquitur ad mentem Tiberii, qui* Lollium auctorem C. Caeſari pravitatis et diſcordiarum arguebat; *Tac. Ann.* III, 48.

3. *Ita Lipſ. pulchre invenit ex ed. pr. veſtigiis* Caeſaris iam a vulgavit. *Male alii* Caeſaris ira evulgavit *quomodo coniecerat Rhen.*

4. *Strabo* L XI *extr. et Zonaras congruunt in nomine. Sed Flor. dicit* Artaxatam.

ram graviter a quodam, nomine [1] Adduo, vulneratus, ex eo, ut corpus minus habile, ita animum minus utilem reipublicae habere coepit. Nec defuit conversatio hominum, vitia eius assentatione alentium. etenim semper magnae fortunae comes adest adulatio. per quae eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere [2], quam Romam regredi mallet. [3] Diu inde reluctatus, invitusque revertens in Italiam, in urbe Lyciae ([4] *Limyram* nominant) morbo obiit [5]; cum ante annum ferme L. Caesar, frater eius, Hispanias pe-
103 tens, Massiliae decessisset [6]. [7] Sed Fortuna, quae
subduxerat spem magni nominis, iam tum reipublicae sua praesidia reddiderat. quippe, ante utriusque horum obitum, patre tuo P. Vinicio consule, Tib. Nero, reversus Rhodo, incredibili laetitia

1 *Floro l. c. dicitur* Domnes, *quem rex Parth. praefecerat Artaxatis; sed Straboni* XI Αδωρ. *Melius Zonarae* Αδδων.

2 *s. elanguescere. Neque enim annis solum consenescimus, sed et morbo, viribus, fama cet. et diversum est verbum vigere, valere; cf. Cort. ad Sall. Cat.* 20.

3 *Vulg.* deinde. *Sed Voss. ex vestigiis* MS. *ambiguis nostrum eruit melius, quod et Acid. visum erat.*

4 *Ita rectius, quam alii* Limyras.

5 *A. U.* 756 *(quem an. Vell. ipse c. sq. indicat) s. an. Varron.* 757 *a. d.* IX *Kal.* Mart.

6 *Cf. Tac. Ann.* I, 3.

7 *Iam prorsus in foedas adulationes adversus Tiberium demittitur Vell. laudator magis, quam historicus.*

patriam repleverat. Non est diu cunctatus Caesar Augustus. neque enim quaerendus erat, quem legeret; sed legendus, qui eminebat. Itaque, quod post Lucii mortem adhuc Caio vivo facere voluerat, adeoque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post utriusque adolescentium obitum facere perseveravit, ut et tribunitiae potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo cum domi, tum in Senatu recusante, et eum Aelio Cato et Sentio Coss. v Kalend. Iul. post V. C. annis [1] DCCLVI, abhinc annis XXVII, adoptaret. Laetitiam illius diei, concursumque civitatis, et vota paene inferentium coelo manus, spemque conceptae perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii, vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere tentemus: [2] contenti, id unum dixisse, quam ille omnibus [3] affuerit.

1. *Ita ex falsis correxit Manut. ediditque Burmann. quod verum est, si Velleius scripsit an* 782. *Sed qui Pagium et Petavium sequitur Dodwellus, in annum Varron.* 757 *ponit consulatum istum; unde ad annum scriptionis* 783 *pariter* XXVI *anni procedunt. Edit. vero princeps legit* annis DCCLIII abhinc annis XXVII.

2. *Interciderat haec vox in* MS. *ob priorem similem; hinc Burer. post* dixisse *addit* iuvat; *Lips. malebat* dixero; *Voss.* dixisse habeo, *ut infra.*

3. *Vulg.* fuerit carus. *Sed ultima vox addita a Burer. non est in* MS. *Lips. maluit nostro Graecismum affingere,* quam ille omnia omnibus fuerit; *pro quo ab ipso*

tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis; adeo, ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi
104 felicius. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem post mortem Agrippae Iulia enixa erat. sed in Neronis adoptione illud adiectum, his ipsis Caesaris verbis: *Hoc*, inquit, *reipublicae causa facio.* Non diu vindicem custodemque imperii sui moratâ in Urbe patria; protinus in Germaniam misit; ubi ante triennium sub M. Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. Erat [1] id ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter: eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum ante [2] tribunatu, castrorum Ti. Caesaris militem fecit. quippe pro-

Vell. latinius dictum foret quam in illo omnia omnibus fuerint. *Sed hoc nimium est.*

1. *Sic pro vulg.* et *monente etiam Lipf. legendum; et sic noster supra c.* 16 *in fine:* id *(sc. bellum)* administratum est *etc.*

2. *Vulg. coniunguntur* tribunatu castrorum, Ti. Caes. m. f. *Nos intercidimus, ut inani quaestioni materiam subtrahamus, quis fuerit ille tribunatus castrorum; cuius nulla apud quemquam mentio. Somniantur alii, ut Dodwellus in Ann.* §. 10, *absurda vero. Cum castra sint ducis, noster nil aliud dixit, quam se militasse sub Tiberio. ex tribuno scil. praefectus equitum missus cum Tiberio.*

tinus ab adoptione miſſus cum eo praefectus equitum in Germaniam, ſucceſſor officii patris mei, coeleſtiſſimorum eius operum per annos continuos IX[1] praefectus aut legatus, ſpectator et pro captu mediocritatis meae adiutor fui. Neque illi ſpectaculo, quo fructus ſum, ſimile conditio mortalis recipere videtur mihi; cum per celeberrimam Italiae partem, tractum omnem Galliae provinciarum, veterem imperatorem et ante meritis ac viribus[2], quam nomine, Caeſarem reviſentes, ſibi quiſque, quam illi, gratularentur plenius. At vero militum conſpectu eius elicitae gaudio lacrimae: alacritaſque et ſalutationis nova quaedam exſultatio, et contingendi manum cupiditas, non continentium protinus, quin adiicerent, *Videmus te, imperator? ſalvum recepimus?* ac deinde, *Ego tecum, imperator, in Armenia, ego in Rhaetia fui; ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus ſum*, neque verbis exprimi, et fortaſſe vix mereri fidem poteſt.
Intrata protinus Germania: ſubacti Caninefates,[3] At- 105

1. *Ab an.* 757 *ad an.* 766 *ſ. ab an.* 758 *ad* 767, *quo Auguſt. obiit.*

2. *Sc. mentis animique.*

3. *Qui ap. Vell.* Attuarii *leguntur, ii vocantur Ptolemaeo* Χαττουάριοι, Chattuarii. *Ptolemaeus eos infra Suevos, (qui Caeſaris tempore in oram Rhenanam advenerant) locat. Habitarunt autem cis Viſurgim.* Attuarii *Franci laudantur ab Amm. Marc.* XX, 10 *ed. Valeſ. ſed alii ibi malunt* Anſuarios *ſ.* Amſivarios *agnoſcere; cf. Speneri notit. Germ.* IV, *c.* 3, §. 44.

tuarii, Bructeri, recepti Cherusci, [1] gentes immaniores et mox nostra clade nobiles: transitus Visurgis: penetrata ulteriora: cum omnem partem asperrimi et periculosissimi belli Caesar vindicaret; in iis, quae minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui [2] tum legatus patris eius in Germania fuerat, praefecisset, virum multiplicem [3] in virtutibus, navum, agilem, providum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, sed eundem, ubi negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem, ita tamen, ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceres. de cuius viri claro celebrique consulatu praediximus [4]. Anni eius aestiva, usque

1. MS. *s. ed. pr. fracte habet* gentes et inamninus, mox nostra cl. nobilis transitu Visurgis. *Rhen. haud belle coniecit ad marginem:* gentes et amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis, *quod vulgo hodie receptum est. Inde Lips. vocem* gentes *eiiciendam censuit. Voss. sq. correxit* et utinam minus mox n. c. nobilis transitus Visurgis. *Burm. mavult* sed mox damnis et n. c. n. t. V. *Errant credo, omnes, qui haec adiecta putarunt Visurgi. Longe aptius referimus ad priora, ut e feritate gentium, quas dixerat, laus maior redundet in victorem, ut cap. sq. de Langobardis; et alibi. Saepius vero in voce* immanis *turbas dedere librarii.*

2. *Qui hanc voculam tentant, ineptire videntur.*

3. *Alii omittunt* in.

4. *Cap.* 103.

in menſem Decembrem perducta, [1] immanis emo-
lumentum fecere victoriae. Pietas ſua Caeſarem,
paene obſtructis hieme Alpibus, in urbem traxit:
[2] at tutela imperii eum veris initio reduxit in Ger-
maniam; in cuius mediis finibus, ad caput [3] Lu-
piae fluminis, hiberna digrediens princeps loca-
verat. Pro dii boni, quanti voluminis opera inſ- 106
quenti aeſtate [4], ſub duce Tiberio Caeſare, geſſi-
mus [5]! perluſtrata armis tota Germania eſt [6]: victae
gentes, paene nominibus incognitae: receptae
Cauchorum nationes; omnis eorum iuventus, in-
finita numero, immenſa corporibus, ſitu locorum
tutiſſima, traditis armis, una cum ducibus ſuis,
ſepta fulgenti armatoque militum noſtrorum agmi-
ne, ante imperatoris procubuit tribunal: fracti
[7] Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior:

1. *An forſan:* in maius fecere *h. e.* auxere.

2. *Sic Lipſ. correxit, quod antea legebatur* ad tutelam imperii, *quod ſi verum eſſet, pietas referenda foret ad* reduxit. *Sed intelligimus pietatem in patrem matremque; quae eum in urbem trahere, haud vero inde reducere potuit.*

3. *Sic Lipſ. reſtituit pro* Iuliae; *pluribuſque approbat Fürſtenbergius in Monum. Paderb. p.* 13.

4. *An.* 757. *Dio hanc expeditionem ad an* 759 *refert.*

5. *Trans Viſurgim.*

6. *Simplicius haec Dio* L. LV, *p.* 567.

7. *Alii malunt* Longobardi. *Cum Langobardi trans Albim coluerint, eorum tamen partem etiam cis Albim egiſſe arbitrantur, quod Tib. Albim non tranſiit.*

denique quod numquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat [1], ad quadringentesimum milliarium a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus: et eodem, mira felicitate et cura ducis, temporumque observantia, classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari [2] flumine Albi subvecta [3], plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia,
107 exercitui Caesarique se iunxit [4]. Non tempero mihi, quin tantae rerum magnitudini hoc, qualecumque

Et sane etiam Tacito Cherusci Langobardorum opibus aucti dicuntur Ann. XI, 17. *Possis credere, ab his pagum Bardungau cis Albim, et Bardevicum nomen traxisse.*

1. *Drusus quidem a.* 744, *teste Dione* L. LV *frustra Albim transire conatus trophaeis constitutis recessit; et* L. Domitius, *Tac. Ann.* IV, 44 *referente*, exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum, ob easque res insignia triumphi meritus est. *Sed Drusus nondum pervenerat classe ad Amisiae ostia, et exercitu Albim tentavit. An L. Domitius ante Tib. l. sub eodem flumen tentaverit, incertum. vid. pluribus Grupenium l. c. obs.* 2. *Tiberius certe et classe et exercitu tentaverat, quamvis Velleius gesta eius in maius augeat.*

2. *Ab Amisia ad Albis ostia. cf. Monum. Ancyr. in Chishul. Antiqq. Asiat. pag.* 175, *quo Augusti res gestae enarrantur.*

3. *Haud ultra Cauchorum fines.*

4. *In statione ad dictum oppidum Stade, ut Cluver. in Germ.* L. III, *c.* 18, *p.* 578 *notat.*

est, inferam. Cum citeriorem ripam praedicti fluminis castris occupassemus, et ulterior armata hostium iuventute fulgeret, sub omnem motum nostrarum navium protinus refugientium, unus e barbaris, aetate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans, ad medium processit fluminis; et petiit, *liceret sibi, sine periculo, in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam, ac videre Caesarem.* data petenti facultas. tum appulso lintre, diu tacitus contemplatus Caesarem, *Nostra quidem*, inquit, [1] *furit iuventus, quae cum vestrum numen absentium colat, praesentium potius arma metuit, quam sequitur fidem. sed ego beneficio ac permissu tuo, Caesar, quos ante audiebam, hodie vidi deos: nec feliciorem ullum vitae meae aut optavi aut sensi diem.* impetratoque, ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Caesarem, ripae suorum appulsus est. Victor omnium gentium locorumque, quos adierat, Caesar, cum incolumi inviolatoque, et semel tantummodo, magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu, in

1. Adulatoria, *inquit Lips.* oratio et inepta, nec pro indole aut ferocia Germanica. *Similem locum laudat Voss. ex Curt.* IX, 8. *Furere autem dicit iuventutem, quae cum diis belli gerari velit.*

hiberna legiones reduxit; eadem, qua priore anno,
108 festinatione urbem petens. Nihil erat iam in Germania [1], quod vinci posset [2], praeter gentem Marcomannorum; quae Maroboduo duce excita sedibus suis, atque in [3] interiora refugiens [4], incinctos Herciniae silvae campos [5] incolebat. Nulla festinatio huius viri [6] mentionem transgredi debet. Maroboduus genere nobilis, corpore praevalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem et ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum; sed certum imperium. vimque regiam complexus animo statuit, avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret

1. *Quam vane et serviliter Domino suo adulatur homo! lege veriora ap. Tac. Germ. c. 37. Florus* IV, 12 §. 21-31 *etiam a Drusi victoriis statim et praeteritis Tib. expeditionibus transit ad cladem Varianam. cf. et Strabo* L. VII *pag.* 205 *ed. Ald.* 15, 16, *Aur. Vict. in Caes. c.* 1.

2. *Restabant tamen populi septentrionales, et illi inter Rhenum et Visurgim, et Albim infidam colebant pacem.*

3. *Ita correxit Lips. pro* inferiora.

4. *Sc. a Danubio, cuius oram et Moraviam ille tenuerat.*

5. *Boiohemiam intelligit; cf. c.* 109 *extr. Boii vero tum in Noricum transire coacti.*

6. *Cuius magnitudinem ipse Tib. suas in laudes vertit; Tac. Ann.* II, 63.

potentissima. Occupatis igitur, quos praediximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit,
aut conditionibus iuris sui fecit. [1] Corpus suum 109
custodia tutum, imperio, et perpetuis armorum exercitiis paene ad Romanae disciplinae formam redactum, brevi in eminens et nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium: gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello [2] nos lacesseret, et si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi ostenderet. Legati, quos mittebat ad Caesares, interdum ut *supplicem* commendabant, interdum ut pro *pari* loquebantur.

1. *Ed. princ. e* MS. corpus suum custodia tum imperium p. e *Lips. emendat* tum *in* tutum; *sed supersunt alia menda. Burer. ad dictum* MS. *legendum arbitratur* C. s. custoditum, tum imperium. *Neque hoc sanum est. Nos novam emendationem inivimus* Corpus suum *nobis est populus ipse Marcomannorum, e quo erat Maroboduus (cf. Liv.* I, 17 *de Sabinis*, sui corporis regem *volentibus). idemque* corpus *civitatis*, custodia (*sc. silvae Herciniae*) tutum, imperio et perp. ex. - redactum - perduxit *sc. ille. Sic omnia plana.*

2. *Sic fere Rhen. supplevit locum in* MS. *lacunosum* nos * lacesseretur superesse sibi vim ac voluntatem resistondi *; *nisi quod ille voluerit* at si lac. *et in fine adiecerit* declararet. *Sed* τὸ et si *l. melius respondet* τῷ neque; *atque aptius videtur* ostenderet, *quod Burmanno placuit, et ob prioris vocis similia extrema facilius* omitti *potuit. Malimus quoque pro* lacesseretur *legere* percelleretur. *Huic certe* superesse *aptius, quam illi.*

Gentibus hominibusque a nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium: [1] notumque ex male diſſimulato agebat aemulum: exercitumque, quem [2] LXX millium peditum, quatuor equitum fecerat, aſſiduis adverſus finitimos bellis exercendo, maiori, quam quod obibat, operi praeparabat. eratque etiam eo timendus, quod, cum Germaniam ad laevam, et in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tamquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur. nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam. quippe eum a ſummis Alpium iugis, quae finem Italiae terminant, initium eius [3] finium haud multo plus CC millibus paſſuum abeſſet. Hunc virum et hanc regionem proximo anno diverſis e partibus Tib. Caeſar aggredi ſtatuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, exciſis continentibus Herciniae ſilvis, legiones Boiohoemum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt) [4] duce-

1. *Vulg.* totumque; *pro quo Lipſ. voluit* tutumque, *Acid.* in totumque. *Heinſ.* totuſque. *frigent iſta omnia.*

2. *Hunc numerum ex veſtigg.* MS. *repoſuit Burer. pro* LX. *habet enim* MS. *eraſum poſterius* X.

3. *Incrementi*, *quod imperio ſuo adiecerat Maroboduus.*

4. *Verbum hoc, quod deeſt in* MS. *addit Lipſ. Dodwell. vero ann. Vell.* §. 3 *et qui eum ſequitur I. D. Koelerus in Diſſ. de Maroboduo lacunam poſt verbum* duceret, *et deeſſe acta tertiae expedi-*

ret: ipse a Carnunto, [1] qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est [2]. Rumpit, interdum moratur proposita ho- 110
minum fortuna. Praeparaverat iam hiberna Caesar ad Danubium, admotoque exercitu, non plus quam quinque dierum iter a primis hostium, Saturninum admoveri placuerat: [3] cuius copiae paene aequali divisae intervallo ab hoste, intra paucos dies in praedicto loco cum Caesare iuncturae erant; cum universa Pannonia, insolens longae pacis bonis, [4] et adiuta viribus Dalmatiae omnibusque

tionis Germanicae Tiberii suspicantur; sumuntque Tiberium a Carnunto exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere non potuisse, cum fuerit ipse in Germania. Neque tamen meminerunt, (quod et Gruner. reponit) Tiberium Romam rediisse, vid. cap. 107 *extr.*

1. *Ad Danubium e regione confluentis Mari; hodie* Haimburg. *erat vero in finibus Pannoniae et Norici.*

2. *Vergente aestate an.* 759. *Prudentior vero Tac. Ann.* I, 3 *de expeditionibus Tiberii post adoptionem facta iudicat vere ac breviter* - omnesque per exercitus ostentatur.

3. *Verba* cuius copiae, *quae desunt in* MS. *Lips. ad explendam lacunam addidit; approbantibus omnibus.*

4. *Vulg.* adulta viribus Dalmatia, omnibus tr. e. g. i.f. adductis, constituto arma corripuit. *Nos Urs. emendationem amplectimur, legentis* adiuta v. Dalmatiae, *ut in ceteris cum* MS. *a quo vulg. discessit, conveniamus. Habet enim illud* omnibusque - constitit, arma corripuit. *quae vero facilius vocis* constitit

tractus eius gentibus in societatem adductis, constitit et arma corripuit. Tum necessaria gloriosis praeposita: neque tutum visum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quae rebellaverant, omnis numerus amplius DCCC millibus explebat. CC fere peditum colligebantur, armis habilia; equitum novem. cuius immensae multitudinis, parentis acerrimis ac peritissimis ducibus, pars petere Italiam decreverat, iunctam sibi Nauporti [1] ac Tergestis [2] confinio; pars in Macedoniam se effuderat; pars suis sedibus praesidio esse destinaverat. [3] Proxima duobus Batonibus ac Pinneti ducibus

extremo absorpta fuit copula et, *eam restituimus.* constitit *verbum militare nobis est: iunctim contra adstitit Romanis. Verbum autem singulare melius convenit cum univ. Pannonia, quam in utramque et Pann. et Dalm.*

1. *Nauportum, oppidum in Pannonia; cui nomen fuit a Nauporto fluvio, nunc Laubach, a I. Lud. Schoenleben, probatur fuisse, ubi nunc est Superius Labacum, Ober-Laybach, in Carniola.*

2. Tergeste, *ut Mela dicit*, intimo in sinu Hadriae situm, finit Illyricum; *colonia dicitur Plin.* III, 18, ultra quam - Formio amnis, antiquus auctae Italiae terminus. *hodie* Trieste.

3. *Frustra sqq. tentantur. Lips. volebat aut* prima duobus *etc. aut* proxima duobus - a Pinnete. *Alii, quibus accedit Voss. corrigunt* duobus Batoni ac Pinneti ducibus. *Nobis vero* proxima *auct. est* simillima, par, aequa; *et fuere duo Batones (quod nomen est populare Pannonum) alter e Desidiatum gente, dein et Dalma-*

auctoritas erat. Omnibus autem Pannoniis non
disciplinae tantummodo, sed linguae quoque noti-
tia Romanae: plerisque etiam litterarum usus et, fa-
miliaris animorum erat exercitatio. Itaque, hercu-
les, nulla umquam natio tam mature consilio belli
bellum iunxit, ac decreta patravit [1]. oppressi cives
Romani: trucidati negotiatores: magnus vexilla-
riorum numerus ad internecionem, ea in regione,
quae plurimum ab imperatore aberat, caesus; oc-
cupata armis Macedonia: omnia et in omnibus locis
igni ferroque vastata: [2] quin tantus etiam huius
belli [3] metus fuit, ut stabilem illum, et firma-
tum tantorum bellorum experientia, Caesaris Au-
gusti animum quateret atque terreret. Habiti ita- 111
que delectus [4], revocati undique et omnes veterani

ticus dictus, alter Breucorum dux; uterque hisce turbis impliciti, teste Dione L. LVI extr. Bato Desidiates cum Pinnete infra redit cap. 114.

1. *Animorum exercitatio est in artibus et scientiis.*

2. *Sic Ursin. pro* quia; *idque rec. Boecl. et sqq.*

3. *Suet. Tib.* 16 quod gravissimum externorum bellorum post Punica per XV legiones, paremque auxiliorum copiam, triennio gessit, in magnis omnium rerum difficultatibus, summaque frugum inopia.

4. MS *s. ed. pr.* revocatus undique et omnes veterani *cet. Pridem editt. emendarunt in* revocati, *quod frustra alii tentarunt; sed et minus iuste omissum* et, *quod uti* viri *respondet voci* feminaeque. *Nobis* viri *iungendum prioribus videtur, non quod vulgo fit, sqq.*

viri, ſeminaeque ex cenſu libertinum coactae dare militem. audita in Senatu vox Principis, *decimo die, ni caveretur, poſſe hoſtem in urbis Romae venire conſpectum.* ſenatorum equitumque Romanorum exactae ad id bellum operae. [1] Pol civitati omnia haec fruſtra praeparaſſemus, niſi, qui illa regeret, fuiſſet. Itaque, [2] ut praeſidium militum, reſpublica ab Auguſto ducem in bellum popoſcit Tiberium. Habuit in hoc quoque bello mediocritas noſtra [3] ſpecioſi [4] miniſtri locum. finita equeſtri militia, deſignatus quaeſtor, nec dum ſenator aequatus ſenatoribus, etiam deſignatis tribunis plebis [5], partem

1. *Vulg.* pollicitati; *in quo tanquam in eodem luto haerent omnes edd. Noſtra emendatio apta rei, et Velleio, qui talia amat; ut cap. priori:* Itaque Hercules nulla.

2. *Vexarunt verba* ut pr. militum *critici ad unum omnes, variiſque conjecturis locum foedarunt. Nos* τὸ ut *exponimus per* tanquam, qui cognitus adhuc eſſe praeſidium militum, popoſcit reſp. Tiberium in ducem belli. *Sic ſupra noſter c.* 103 *de ipſo Tiber.* Ita-Fortuna-iam tum reip. ſua praeſidia reddiderat; *cf. de milite c.* 104 *in fine.*

3. *Ita iam tum invaſere formulae ambitionem ſervilem redolentes; quomodo et ſub Tib. Val. Max. auſus eſt dicere* mea parvitas; *obſervante Boecl.*

4 *h. e. honeſtioris, ſpectabilis. De perſonis ſpecioſis cf. Ulpian. in L.* ſpecioſas *D. Verb. ſignif. Nil vero tentes cum Lipſ. qui vult* miniſterii. *Locus ſ. honos magis eſt perſonarum.*

5. *Quaeſtores deſignati ante initum honorem alias ius ingrediendi in Senatum*

exercitus ab urbe, traditi ab Augusto, perduxi ad filium eius. In quaestura deinde, remissa sorte provinciae, legatus eiusdem ad eundem missus, quas nos primo anno acies hostium fudimus? quantis [1] prudentiae ducis opportunitatibus furentes eorum vires universas evasimus [2] partibus? quanto cum temperamento simul virtutis et utilitatis res auctoritate imperatoris [3] agi vidimus? qua prudentia hiberna disposita sunt? quanto opere, inclusus custodiis exercitus nostri, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum et [4] intra se furens, viribus hostis elanguesceret? Felix eventu, forte conatu, pri- 112
ma aestate belli, Messallini [5] opus mandandum est

non habebant. Itaque noster nondum Senator, singulari gratia aequatus Senatoribus & Trib. pl. des. eodem quo hi iure fruebantur, auctus est.

1. *Vulg.* prudentia; *hinc Heins. excidisse vocem* usi *vult* quantis prudentia ducis usi opp. *Nos lenius corrigimus, ut Vell. innuat, prudentiae ducis fuisse magnas illas opportunitates, quibus - evaserint Romani.*

2. *Lips. maluit* invasimus; *Gruter.* exhausimus. *Sed vulg. tuetur bene Voss. ex Suet. Tib. c.* 20, *qui Batoni, Pannoniorum duci gratiam retulisse narrat Tiberium,* quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus esset evadere.

3. *Auctoritate ita usi, ut misceret utilia; cf. Tacit. Agric. c.* 8 *init.*

4. *Tentant alii sqq. sed ea huc ingerere taedet.*

5. *E gente Valeria. Plenius ei nomen fuit* M. Valerius Messalla Messallinus *(cos. an.* 750 *l.* 751; *idem qui Tac. Ann.* I, 8*); pater Messalla Corvinus, orator,*

memoriae. qui vir animo etiam quam gente nobilior, (dignissimus, qui et patrem Corvinum habuisset, et cognomen suum Cottae fratri relinqueret) praepositus Illyrico, subita rebellione, cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu, amplius XX millia hostium fudit fugavitque, et ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicumque Caesar esset, nihil in se spei reponerent. pars exercitus eorum proposita [1] ipsi duci, et ad arbitrium utilitatemque nostram macerata [2], perductaque ad exitiabilem famem, neque instantem [3] sustinere, [4] neque cum facientibus copiam pugnan-

praefectus urbi, *Cos. cum Aug.* 733, *quem noster ab Aug. servatum tradit supra c.* 71; *proavus Messalla Niger*, *Orator Cos.* 693; *frater*, M. Aurel. Maximus Cotta, *post fratris obitum* Messallinus *dictus*; (*cf. Ovid. L.* IV *ex Ponto ep.* 16, *v.* 41 *sq. qui idem poeta ad fratrem Messallinum ep.* II, 2 *e Ponto scripsit*) *Tacito saepe hinc Cotta Messallinus Ann.* II, 32, IV, 20, V, 3, VI, 5. *Valerii Messallini*, *quem hic laudat Vell. fil. fuit M. Valerius Messallinus an.* 773 *Cos. cum patruo M. Aurelio Tac. Ann.* III, 2, 17, 18, 34.

1. *Tanquam scopus*, *quem ipse Tiber. peteret. Sic Liv.* XXVIII, 2 *extr.* Asdrubal propositum se bello ratus. *Frustra igitur Lips. tentat in* opposita.

2. *h. e. consumta*, *attenuata.*

3. *Int. ducem s. Tiberium.*

4. MS. *et ed. pr.* neque ut facientibus. *Editt. dum expunxere* ut; *nos emendamus in* cum, *quod verbum congredi poscere videtur.*

di dirigentibusque aciem ausa congredi, occupato monte Claudio [1], munitione se defendit. At ea pars, quae obviam se effuderat exercitui, quem A. Caecina et Silvanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumfusa quinque legionibus nostris, auxiliaribusque, et equitatu regio (quippe magnam Thracum manum iunctus praedictis ducibus Rhoemetalces, Thraciae rex in adiutorium eius belli secum trahebat), paene exitiabilem omnibus cladem intulit. [2] Fusa regiorum equestris acies, fugatae alae, conversae cohortes sunt, apud signa quoque legionum trepidatum. sed [3] Romani virtus militis plus eo tempore vindicatum iit gloriae, quam ducibus reliquit: qui [4], multum a more imperatoris sui [5] discrepantes, ante in hostem inciderunt, quam per exploratores, ubi hostis esset, cognoscerent. Iam igitur in dubiis rebus semet-

1. *In Pannonia Savana, qui hodie Croatiam a Sclavonia disterminat. Plin. H. N.* III, *c.* 25 *memorat* montem Claudium, cuius in fronte Scordisci, in tergo Taurisci.

2. MS. Fuga, *unde Voss. coniecit nostrum. Vulg.* Fugata.

3. *Vulgata variis correctorum erroribus deflexit a lectione* MS. *s. ed. pr. quam revocamus, addito, quod post* vindicatum *facile exciderat, verbo* iit, *h. e. maiorem gloriae partem sibi asseruit, quam ducibus reliquit. Ita autem vulg. hodie:* sed romana virtus militi plus e ot. vindicatum, quam d. r.

4. *Sc. duces.*

5. *Sc. Tiberii.*

ipsae legiones adhortatae, iugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum, interemto praefecto castrorum, praefectisque cohortium, non incruentis centurionibus, [1] e quibus etiam primi ordines [2] cecidere, invasere hostes; nec sustinuisse contenti, perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicaverunt. Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali erat, et iam ante biennium, qualis esset, apparere coeperat, mira pravitate animi atque ingenii in praecipitia conversus [3], patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi: moxque, [4] crescentibus in

113 dies vitiis, dignum furore suo habuit exitum. Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem. Iunctis exercitibus, quique sub Caesare fuerant, quique ad eum venerant, contractisque in una castra decem legio-

1. *Verbis e* MS. *a Burer. restitutis* quibus *etc. Voss.* et Boecl. *recte praep.* e, *Velleio familiarem in ea constructione, praemittendam censuerunt.*

2. *h. e primi ordinis centuriones, ut ap. Caes. de B. G.* V, 30, *et* VI, 7 *versus finem, ubi interpres Graecus* primos ordines *vertit* τοὺς πρώτους ταξιάρχους.

3. *Vel potius, quod despiceret Iuliam Aug. f. Liv. ut Dio habet. huiusque artibus ab avo in insulam Planasiam, Corsicae vicinam, proiectus, teste Tac. Ann.* I, 3.

4. *Caedem Agrippae, ut primum facinus novi principatus (sc. Tiberii) narrat Tac. Ann,* I, 6.

nibus [1], LXX amplius cohortibus, quatuordecim [2] alis, et pluribus quam decem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio, tanto denique exercitu, quantus nullo umquam loco post bella fuerat civilia; omnes eo ipso laeti erant, maximamque fiduciam victoriae in numero reponebant. At imperator, optimus eorum, quae agebat, iudex, et utilia speciosis praeferens [3], quodque semper eum facientem vidi in omnibus bellis, quae probanda essent, non quae cuique probarentur, sequens, paucis diebus exercitum, qui venerat [4], ad refovendas ex itinere eius vires, moratus, cum eum maiorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit: prosecutusque longo et perquam laborioso itinere, cuius difficultas enarrari vix potest, ut neque universos quisquam auderet aggredi, et partem digredientium [5], suorum quis-

1. *Suet. Tib. c.* 16, *quem locum supra ad c.* 110 *extr. adduximus*, XV legiones *dicit*, paremque auxiliorum copiam. *Ille numerus maior sit e veteranis et voluntariis.*

2. *Vocem* alis *in* MS. *omissam reddidit Lips.*

3. *Boecl. conferre iubet orat. Q. Fabii Max. ad Aemil. ap. Liv.* XXII, 39.

4. *Diversum ab eo, qui sub Caesare fuerat; ut initio cap. Frustra igitur Heins. mavult* subvenerat, *quod Cellarius rec.*

5. *Pessimo, ut ait Voss. aut potius flagitio in quibusdam ed. omissae sunt duae voces* quisque *et* finium, *quas habet ed. princ. easque omnino reponendas censet*

que metu finium universi tentare non possent, remisit eo, unde venerant: et ipse asperrimae hiemis initio ingressus Sisciam [1], legatos, inter quos ipsi
114 fuimus, partitis praefecit hibernis. O rem dictu non eminentem, sed solida veraque virtute atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem [2]! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo e nobis, gradumve nostrum aut praecedentibus aut sequentibus, imbecillus fuit, cuius salus ac valetudo non ita sustentaretur Caesaris cura, tamquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni [3] negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum iunctum vehiculum: lectica eius publicata, cuius [4] usum cum alii, tum ego sensi: iam medici, iam apparatus cibi: iam in hoc solum [5] importatum instrumentum balinei,

Boecl. cum Grutero aliisque. Sensus est: quod quisque hostilium ducum suis finibus timeret, si universi degredientes Romanos sequerentur et tentarent.

1. *Ad confluentes Colapis et Savi*, Sisseck *in Croatia.*

2. *Extulerat adhuc prudentiam et auctoritatem imperatoriam: nunc summis laudibus profert temperamentum utilitatis s. humanitatem Tiberii; quo nomine et Germanicum laudat Tac. Ann.* I, 71, *aliosque duces alii scriptores.*

3. *Ita invenit Erasm. ex* genitio, *quod in* MS. *legi testatur Burer.*

4. *Vocem* usum, *quae exciderat in* MS. *bene restituit Lips.*

5. *In salutem, non voluptatis causa.*

nullius non succurrit valetudini. domus tantum ac domestici deerant; ceterum nihil, quod ab illis [1] aut praestari aut desiderari posset. Adiiciam illud, quod, quisquis illius temporis rebus interfuit, ut alia quae retuli, agnoscet protinus. Solus semper equo vectus est: solus cum iis, quos invitaverat, maiore parte aestivarum expeditionum, coenavit sedens: non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignovit; admonitio frequens inerat et castigatio, vindicta rarissima: agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. Hiems emolumentum patrati belli [2] contulit. sed insequenti aestate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit. Ferocem illam tot millium iuventutem, paulo ante servitutem minatam Italiae, conferentem arma, quibus usa erat apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se universam genibus imperatoris, Batonemque [3] et Pinetem, excelsissimos duces, cap-

1. *Sc. domesticis.*

2. *Patratum dicit bellum, cum tamen superessent debellandi Dalmatae. Sed cum hi sq. aestate maxime a Germanico devicti fuerint, captusque Bato Desitiates (qui Ovid.* II *ex Ponto ep.* I, *v.* 46 belli summa caputque *dicitur) anticipando transmovet victoriae Germanici, obiter laudati c.* 116, *gloriam in Tiber. cum diffiteri nequeat c.* 115, *aestate sq. consummatum esse maximum bellum.*

3. *Int. Desitiatem, de quo loquuntur Suet. Tib.*

tum alterum [1], [2] alterum a se deditum, iustis voluminibus ordine enarrabimus, ut spero. Auctumno victor in hiberna reducitur exercitus, cuius omnibus copiis [3] a Caesare M. Lepidus praefectus est, vir nominis ac fortunae [4] Caesarum proximus: quem

c. 20 et Ovid. l. c. Bato enim Breucus, traditor Pinetis, a Desid. victus et interfectus erat anno sq. teste Dione L. LV; neque is Romanis captus aut deditus fuit.

1. *Sc. Pinetem, traditum Romanis a Batone, Breuco s. Pannonico. In* MS. *vero excidit* alterum *geminatum et pro eo* a se *legitur; in quibus emendandis operam ludunt verborum critici.*

2. *Batonem Desid. qui quomodo se dediderit, Dio narrat* L. LVI, *cf. Suet. l. c.*

3. MS. a Caesarem, *unde divulso τὸ* M *(praenomine Lepidi) bene Burer. rescripsit nostrum; neque audiendus Lips. qui voluit* a Caesaribus, *ad quos referatur mox* nom. ac. F. eorum proximus. *Opportunius sane pro* eorum *nobiscum legas* Caesarum. *Fuit certe is quem Augustus* supremis sermonibus cum tractaret, qui nam adipisci principem locum, suffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem possent cuperentque, dixerat capacem, sed aspernantem. *Tac. Ann.* I, 13. *Inde Lips. eum potius* M' *h. e.* Manium *(qui Tac. Ann.* III, 22 *occurrit) quam* M. *s.* Marcum *illius aequalem esse vult. Sed contradicunt ei Rupert. I. F. Gronov. Ryck. ad Tac. et Voss. ad Vell. Nos veremur, ne pro uno Lepido nobis duos fecerit varietas scribendi; cum ap. Dion. et fast. Capit. is dicatur* Marcus, *qui in tab. Narbon. ap. Grut. inscr. scriptus* M' *Nostrum vero laudat Tac. Ann.* III, 32, IV, 20, VI, 27.

4. *Vulg.* eorum; *alii volunt* suorum *h. e. Aemiliorum; quod ineptum et lan-*

in quantum quis aut cognoſcere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus eſt [1], ornamentum iudicat.
Caeſar ad alteram belli Dalmatici molem animum at- 115
que arma contulit [2]: in qua regione quali adiutore legatoque fratre meo, Magio Celere [3] Velleiano uſus ſit, ipſius patriſque eius praedicatione teſtatum eſt, et ampliſſimorum honorum, quibus triumphans eum Caeſar donavit, ſignat memoria. Initio aeſtatis Lepidus, educto hibernis exercitu, per gentes integras immuneſque adhuc clade belli, et eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium imperatorem, cum difficultate locorum et cum vi hoſtium luctatus, magna cum clade obſiſtentium, excifis agris, exuſtis aedificiis, everſis vicis, laetus victoria, praedaque onuſtus, pervenit ad Caeſarem: et

guidum videtur. Noſtrum probes, ſi eundem Lepidum ſtatuas, fratrem Aemiliae Lepidae (uxoris L. Caeſaris, poſt P. Quirini, cf. Tac. III, 22 *ſq.) et patrem alterius Aemiliae Lep. Druſo iuveni, Germanici filio, nuptae cf. Tac. Ann.* VI, 40.

1. *Sc. filius fuit Quinti, nepos* III *viri, idemque pronepos et Sullae et Pompeii.*

2. *An.* 760 *l. Varr.* 761.

3. *Ita Eraſm. reſcripſit et vulgo legitur.* MS. *vero corrupte habet* ulli flano. *Infra c.* 124 *in fine ſe ac fratrem a Tib. principe an.* 766 *l.* 767 *praetores deſtinatos fuiſſe refert. Quin igitur fratrem hunc eſſe eundem cum Magio Caeciliano praetore an.* 773 *l.* 774 *ap. Tac. Ann.* II, 37 *coniicimus, et* Ceciliano *vocem fractam in* Cet. ulli flano *credimus?*

ob ea, quae si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum iudicio Principum voluntate Senatus, donatus est. Illa aestas maximi belli consummavit effectus. quippe [1] Breuci ac Desitiates Dalmatae, situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia, sed praecipue angustiis saltuum paene inexpugnabiles, non iam ductu, sed manibus atque armis ipsius Caesaris tum demum pacati sunt, cum paene funditus eversi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre maius, aut mirari magis potui, quam quod imperatori numqnam adeo ulla opportuna visa est victoriae occasio, quam damno amissi pensaret militis. semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum; et ante conscientiae, quam famae, consultum: nec umquam consilia ducis iudicio exercitus,
116 sed exercitus providentia ducis rectus est. Magna

1. *Ed. pr.* Perusia aede siciales dalmatiae. *Manut. Lips. Blanc. Boecl. Thys. alii ediderunt* Daorisi et Desidiates Delm. *Voss. ob vicinitatem literarum maluit* Perustae et Des. *quod et secuti sunt Burm. et Grunerus. Nos accedimus Puteano et Boecl. s. potius Dioni et Suet. Tiber. 9. hic quidem* Pannonico (*bello*) Breucos et Dalmatas subegit. *Victi tum uterque Bato, e quibus Breucus ille a Germanico victore corruptus prodidit Pinetem, mercedemque a Romanis principatum Breucorum tulit, sed mox alteri Batoni poenas dedit teste Dione.*

in bello Dalmatico experimenta virtutis in incultos ac difficiles locos praemissus Germanicus dedit [1]. celebri etiam opera [2] diligentiaque Vibius Postumus, vir consularis, praepositus Dalmatiae, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus [3] et Cossus [4], viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriae testimonium etiam in cognomen filii contulit, adolescentis in omnium virtutum exempla geniti. At Postumi operum L. Apronius particeps, illa quoque militia eos, quos mox consecutus est [5], honores excellenti virtute meruit. Utinam non maioribus experimentis testatum esset,

1. *Transeundo laudat victorem, ne imperatori suo detrahat.*

2. *Sic Voss. auctore Pighio in Ann. Rom. rescripsit, cum antea legeretur* diligenti Q. Iulius Postumus. *Utrique lectioni favet* MS. *in quo est* diligenti. quibus Iulius Posthumus; *et ap. Tac. Ann.* IV, 12 *obvius est* Iulius Postumus. *sed audiendus est Pighius. fuit autem C. Vibius Postumus consul suffectus an.* 758; *hinc consularis dicitur.*

3. *C. Crispus Passienus orator*, *cf. Tac.* VI, 20.

4. *Plenius nomen* Cn. Cornelius Lentulus Cossus *a victoria dictus* Gaetulicus; *cf. Flor.* IV, 12, §. 40. *obiit an* 778 *cf. Tac.* IV, 44, *cui laudatur.*

5. *Sub Tib. cf. Tac.* I, 72 *ad an.* 768. *Apronium autem non iam tum ob res cum Postumo gestas, honoris triumphales, quos meritus erat, adeptum esse carpit sq. exclamatione.*

quantum in omni re fortuna posset: sed in hoc quoque genere abunde agnosci vis eius potest. nam et [1] C. Sentius, vir antiquissimi moris, et priscam gravitatem semper humanitate temperans, in Germania, Illyricoque, et mox in Africa, splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectus est [2]. et A. Licinius Nerva Silanus [3], P. Silii [4] filius, quem virum ne, qui intellexit, quidem abunde miratus est, ne

1. *Ed. pr. s.* MS. *nomen viri corruptum habet in* etiam; *unde posteri edd. substituerunt* Seianus, *quasi semper adulator sit noster. Sed in Seianum sqq. minime conveniunt, et is inferius suo loco laudabitur. Lips. ex c.* 125 *h. l. legi voluit* Iunius (*Blaesus*). *Voss. in persona conveniens mavult* Blaesus. *Sed iam alii monuere, verba quae c.* 125 *leguntur*, ut praedixi, *melius referri ad ea, quae illo ipso cap. praedixerat; Velleiumque iam h.l. additurum fuisse, Iun. Blaesum orn. triumphalia post res in Africa gestas adeptum esse. Miror vero, quod nemini in mentem venit* C. Sentius *Saturninus*, *Consularis, et adiutor horum bellorum, maioris nominis vir, quam Apronius, eques. Laudat Sentium, ut supra c.* 105 *et mox A. Licin. Nervam Sil. fato praeventum.*

2. *Adstringas hoc, monente Lipsio, ad Germaniam et Illyricum. quo facto aliorum scrupulis levioribus nemo moveatur.*

3. *Ante adoptionem in Liciniam gentem* Silius *dictus, superiori anno consul. fratres habuit C. Silium Cos.* 765 *et P. Silium Nervam Cos.* 780.

4. *Cos.* 732 *l.* 733.

nihil non [1] optimo civi, simplicissimo duci perisset, [2] praeferens immatura, et fructu amplissimae principis amicitiae et consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium imaginis defectus est. Quorum virorum mentioni si quis quaesisse me dicet locum, fatentem arguet. neque enim iustus sine mendacio candor apud bonos crimini est.' Tantum 117
quod [3] ultimam imposuerat Pannonico ac Dalma-

1. *Triplex haec negatio, quam habet* MS. *teste Burerio, editoribus negotium facessit. Inde Rhen. iam omiserat* non; *Gruter. retineri quidem vult, sed dictum putat a Vell.* fatorum invidia intercidisse Licinio praemia pacis et belli omnia, omnia. *Humani quid passus esse videtur; Grunerus illum sequitur exponens* ne nihil non *per* ut omnia-perissent. *Exemplum, quod affert ex Ter. Andr.* I, 2, 34, *claudicat dubiaeque lectionis est. Nos Velleium quaesitius hoc addidisse laudis causa censemus et cum Burmanno exponimus*, ne omnia periissent opt. civi, simpl. duci. *Plaut. capt.* III, 5, 32. Qui per virtutem peritat, non pol interit. *Cic. in Catil.* IV, c. 2. Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, neque misera sapienti. *Silianus vero hoc ipso bello occubuisse videtur.*

2. *Pridem falso ediderunt* praereptus immature, *quod editores lectionem* MS. *a Rhen. editam non assecuti sunt.* Praeferre immatura *nobis est immaturum obire malle sc. fortiter pugnando, per virtutem perire; cf. c.* 88 *extr.*

3. Tantum quod *ipsi Cic. aliisque familiare est*, ipso eodemque tempore *s.* commodum, *ut i ex Don. ad Eun.* II, 3, 49 *apparet.*

tico bello Caesar manum, cum, intra quinque consummati tanti operis dies, funestae ex Germania epistolae[1], *caesi Vari, trucidatarumque legionum trium totidemque alarum, et sex cohortium:* velut in hoc ([2] saltem) tantummodo indulgente nobis Fortuna, [3] ne in occupatum ducem esset ausa. Sed

1. *Neque* epistolae *apte videntur coniungi cum casu sec.* caesi Vari *etc. pro* de caeso Varo *etc. nisi eandem vim tribuis* epistolae, *quae est* nuntii; *et verbum desideres, quod supplere non audemus. Forsan* allatae *post* epistolae; *an* veniunt *ante* funestae *l. post* cohortium *pro* velut.

2. *Nisi vocem quam uncinis includimus, cum Schegk. et Popma in* salutem *emendare malis, omnino ut glossema eiiciendum cum Grut. censemus. Inepte enim nugatur Gruner. qui pleonasmum sumit.*

3. *Ed. Rhen.* ne occupato ducem, * et causa persona cet. *Mutarunt edd.* ducem *in* duce; *et Lips. supplebat* saeviret, *quod tamen nemo recepit. idemque dein fecit:* Sed causa et persona m. e. *quod Voss. probat, Burm. et Grun. receperunt. Si quid videmus, verbo* exigit *convenit tantum h. l.* persona; *cum et alias noster digressionibus suis nomen personae praetendat, ut c.* 41 C. Caesaris, qui scribendi manum iniicit et quamlibet festinantem in se morari cogit. *c.* 59 C. Octavium - De cuius orig. - pauca dicenda sunt. *c.* 108 *Marobodui:* Nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet. *Itaque in illo* causa *verbum quod desideratur potius quaesiimus, invenimus. Similiter certe Flor.* IV, 2, 30 *de Iulio Caesare:* aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum et Africam, quasi de industria prospera eius ad-

persona moram exigit. Varus Quinctilius[1] illustri[2] magis, quam nobili[3] ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus; ut corpore et animo immobilior,[4] otio magis castrorum, quam bellicae assuetus militiae: pecuniae vero quam non contemtor, Syria, cui praefuerat[5], declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit. Is cum exercitui, qui erat in Germania, praeesset, concepit[6] esse homines, qui nihil praeter vocem membraque haberent hominum, quique gladiis domari non poterant, posse iure mulceri[7]. Quo proposito mediam ingressus Germaniam[8], ve-

versis radiarentur. *Saepius vero ut ap. Tac. H.* II, 71, audere *absolute dicitur. cf. tandem, quod de Variana clade Suet. Tib.* 17 *addit:* numine dubitante, quin victores Germani iuncturi se Pannoniis fuerint, nisi debellatum prius Illyricum esset.

1. *Sc. Quinctiliorum patricia, eaque antiquissima, cf. Gundlingiana part.* XXIV, *diss. de Quinct. Varo* § 1.

2. *P. Quinctil. Varus. Erat ipsi pater Sext. Quinct. Var. de quo noster c.* 71, *et Caes. de B. G. c.* 23.

3. *Neque enim Romae nobiles erant, nisi qui multis imaginibus maiorum magistratu curuli insignium gaudebant. Sc. his erat nobilitas curulis.*

4. *Frequente ellipsi omittitur* ita.

5. *Cf. Tac. H.* V, 9 *et Ioseph. Antiqq.* XVII, *cap.* 10 *sq.*

6. *Int. animo, h. e. putavit.*

7. *Cf. Flor.* IV, 12, 31.

8. *Inter Rhenum et Visurgim, in Cheruscorum fi-*

lut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine [1], trahe-
118 bat aestiva. At illi, quod nisi expertus vix credat, in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus [2], simulantes fictas litium series; et nunc [3] provocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, quod eas [4] Romana iustitia finiret, feritasque sua novitate incognitae disciplinae mitesceret, et solita armis discerni iure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quinctilium; usque eo, ut se praetorem urbanum in foro ius dicere, non in mediis Germaniae finibus exercitui praeesse, crederet. Tum iuvenis genere nobilis, manu fortis, sensu [5] celer, ultra barbarum promtus ingenio, nomine Arminius [6], Sigimeri principis gentis eius

nes, hodie in dioec. Paderborn. cf. Fürstenbergii Mon. Paderb. pag. 1-12 *et* 19 *sqq.*

1. *Int. iudicii, ita ut tribunal castrense assimularetur tribunali forensi, quod assisterent advocati.*

2. *At fidem non debebant hostibus perpetuis, praedonibus gentium, homines ad libertatem nati factique.*

3. *Ita Rhen. in margine emendat* procaces, *quod est in* MS. *idque secuti sunt omnes.* Procax *tamen antique est assidue poscens h. l. accusans* - iniuria *h. e. sine causa, an, quasi ob iniuriam illatam? Quidsi legas* et nunc procantes alter alterum iniuria, *l.* procaces alter in alterum?

4. *Sc. litium series.*

5. *s. cogitatione, ut supra c.* 71.

6. *Quem iuste laudat Tac. Ann.* II, 88 *cf. ibid.* I, 55-71.

[1] filius, ardorem animi vultu oculisque praeferens, assiduus militiae nostrae prioris comes, etiam civitatis Romanae ius equestremque consecutus gradum, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est: haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret; et frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem. Primo igitur paucos, mox plures in societatem consilii recipit: *opprimi posse Romanos* et dicit et persuadet; decretis facta iungit; tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum eius gentis fidelem clarique nominis Segesten [2], indicatur. Sed praevalebant iam fata consiliis; omnemque animi eius aciem praestrinxerant. quippe ita se res habet, ut plerumque, [3] cuius for-

1. *Cui frater fuit* Inguiomerus *Tac.* I, 60 *et praeter* Arminium *fil.* Flavius *Tac. l. c.* II, 9 *Arminio ex Thusnelda natus* 761 Thumelius, *Strabo* VII, *Tac.* I, 57 *et* 46 *Flavio ex filia Cattumeri, Cattorum principis, natus* Italicus *Tacit. Ann.* XI, 16.

2. *Floro* IV, 12, 33 unus *dicitur* principum, *de quo Tac. Ann.* I, 55-59 *plura retulit. filius ei fuit* Segimundus; *filia* Thusnelda, *quam Arminius eripuit sibi uxorem. fratri Segestis nomen fuit* Segimerus *Tacit. Ann.* I, 71 *filiusque* Sesitachus *Strabo* L. VII, *cuius uxor* Rhamis, *Cattumeri Cattorum principis filia.*

3. *Ed. Rhen.* qui fortunam mutaturus Deus; *alii* Deus *verterunt in* est; *alii coniungunt* est Deus. *Voss. emendat* qui *in* cui: *nos in* cuius, *uti ipse Vell. c.* 57 *extr.* - fatorum vis, cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

tunam mutaturus eſt deus, conſilia corrumpat, efficiatque, quod miſerrimum eſt, ut, quod accidit, id etiam merito accidiſſe videatur, et caſus in culpam tranſeat. Negat itaque ſe credere [1], ſpemque ſe benevolentiae [2] ex merito [3] aeſtimare profitetur. Nec diutius, poſt primum indicem, ſecundo reli-
119 ctus locus. Ordinem [4] atrociſſimae calamitatis, qua nulla, poſt Craſſi in Parthis damnum, in exteris gentibus gravior Romanis fuit, iuſtis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere: nunc ſumma deflenda eſt [5]. Exercitus omnium fortiſſimus, diſciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia

1. *Quae Segeſtes indicaverat.*

2. *Germanorum, maxime Arminii, quem ſibi conciliaſſe putabat beneficiis.*

3. *Suo in illos.*

4. *Sic ſupra c.* 59 *p.* 224 *correximus* ordinem - necis.

5. *h. e. defleri magis, quam verbis exprimi poteſt, uti ſupra c.* 67 *init. Sic Segeſtes ap. Tac.* I, 58 quae ſecuta ſunt defleri magis, quam defendi poſſunt. *Suet. Cal.* 30 - caedem deflevit edicto. *cf. omnino Flor. de hac caede* IV, 12, 34-39. *Suet. Aug. c.* 23 *Dion. L.* LVI *Strab. L.* VII *aliique. Quae caſtrorum et loci poſt ſextum cladis an. fuerit facies deformis, deſcribit Tac.* I, 61. *Locus autem fuit medius hodie inter Paderborn, Dethmoldiam et Hornam,* Wintfeld *h. e. campus victoriae, ſc. in Teutoburgienſi ſaltu prope Amiſiam Lupiamque amnes, ultimos Bructerorum, Aliſonem, de quo mox cet. quod pluribus demonſtrat Furſtenberg. Mon. Paderb. pag.* 18-34.

hostis, iniquitate fortunae circumventus: ([1] cum ne pugnandi quidem egrediendive occasio, nisi in quantum voluerant, data esset immunibus, castigatis etiam quibusdam gravi poena, quia Romanis et armis et animis usi fuissent), inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem eius nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit. quippe paterni avitique ex-

1. *Vulgatam prorsus insanam, varieque adhuc tentatam et minime sanatam aspernamur. Sic ea habet a Rhen. male edita:* cum ne pugnandi quidem egregie occasio in quantum voluerant data esset immunis; *pro ultima voce Erasm. ed.* miseris, *quod et sqq. receperunt. Omittimus Vossii, Grut. Heins. Scheffer. Burm. Gruner. cett. errores. Ex Burer. autem lect. varr. constat, ita legi in* MS. cum ne pugnandi quidem egrediem aut occasionis in quantum voluerant, data esset immunis. *Burer. vero violenter hanc ipsam lectionem tractans parum proficit. Nos cum Voss.* egrediendive *facimus, et lenius emendamus* immunibus *h. e. vexillariis, qui exauctorati retinebantur* sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis *cf. Tac. Annal.* I, 36 *et Lips. de mil. Rom.* I, *dial.* 8, *et* V, 19, *a quo, qui dissentiunt, in hac re nil sapiunt. Sensus igitur h. l. fit: cum ne vexillarii quidem, quo expeditiori milite duces in propulsando hoste utebantur, educti essent, nisi qui volentes concedente Duce egrederentur pauciores.*

tunam mutaturus est deus, consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut, quod accidit, id etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam transeat. Negat itaque se credere [1], spemque se benevolentiae [2] ex merito [3] aestimare profitetur. Nec diutius, post primum indicem, secundo reli-
119 ctus locus. Ordinem [4] atrocissimae calamitatis, qua nulla, post Crassi in Parthis damnum, in exteris gentibus gravior Romanis fuit, iustis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere: nunc summa deflenda est [5]. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia

1. *Quae Segestes indicaverat.*

2. *Germanorum, maxime Arminii, quem sibi conciliasse putabat beneficiis.*

3. *Suo in illos.*

4. *Sic supra c.* 59 *p.* 224 *correximus* ordinem - necis.

5. *h. e. defleri magis, quam verbis exprimi potest, uti supra c.* 67 *init. Sic Segestes ap. Tac.* I, 58 quae secuta sunt defleri magis, quam defendi possunt. *Suet. Cal.* 30 - caedem deflevit edicto. *cf. omnino Flor. de hac caede* IV, 12, 34-39. *Suet. Aug. c.* 23 *Dion. L.* LVI *Strab. L.* VII *aliique. Quae castrorum et loci post sextum cladis an. fuerit facies deformis, describit Tac.* I, 61. *Locus autem fuit medius hodie inter Paderborn. Dethmoldiam et Hornam,* Wintfeld *h. e. campus victoriae, sc. in Teutoburgiensi saltu prope Amisiam Lupiamque amnes, ultimos Bructerorum, Alisonem, de quo mox cet. quod pluribus demonstrat Furstenberg. Mon. Paderb. pag.* 18-34.

hostis, iniquitate fortunae circumventus: ([1] cum ne pugnandi quidem egrediendive occasio, nisi in quantum voluerant, data esset immunibus, castigatis etiam quibusdam gravi poena, quia Romanis et armis et animis usi fuissent), inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, ut vitam aut mortem eius nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit. quippe paterni avitique ex-

1. *Vulgatam prorsus insanam, varieque adhuc tentatam et minime sanatam aspernamur. Sic ea habet a Rhen. male edita:* cum ne pugnandi quidem egregie occasio in quantum voluerant data esset immunis; *pro ultima voce Erasm. ed.* miseris, *quod et sqq. receperunt. Omittimus Vossii, Grut. Heins. Scheffer. Burm. Gruner. cett. errores. Ex Burer. autem lect. varr. constat, ita legi in* MS. cum ne pugnandi quidem egrediem aut occasionis in quantum voluerant, data esset immunis. *Burer. vero violenter hanc ipsam lectionem tractans parum proficit. Nos cum Voss.* egrediendive *facimus, et lenius emendamus* immunibus *h. e. vexillariis, qui exauctorati retinebantur* sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis *cf. Tac. Annal.* I, 36 *et Lips. de mil. Rom.* I, *dial.* 8, *et* V, 19, *a quo, qui dissentiunt, in hac re nil sapiunt. Sensus igitur h. l. sit: cum ne vexillarii quidem, quo expeditiori milite duces in propulsando hoste utebantur, educti essent, nisi qui volentes concedente Duce egrederentur pauciores.*

empli successor se ipse transfixit. At e praefectis castrorum duobus, quam clarum exemplum L. [1] Eggius, tam turpe [2] C. Ceionius prodidit: qui, cum longe maximam partem absumsisset acies, auctor deditionis, supplicio quam proelio mori maluit. At Vala Numonius, legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est. quod factum eius fortuna ulta est. non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostilis laceraverat feritas; caput eius abscisum, latumque ad Maroboduum, et ab eo missum ad Caesarem, gentilitii tamen tumuli

120 sepultura honoratum est. His auditis revolat ad patrem Caesar, perpetuus patronus Romani imperii, assuetam sibi causam suscipit. mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, praesidia munit; se magnitudine sua, non fiducia hostium metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiae minabantur, ultra Rhenum cum exercitu transgreditur. [3] arma infert hosti, quem ar-

1. *Al. male* Egilius.

2. *Addimus praenomen* C. *Heinsio suadente et prob. Burm.*

3. *Ed. princ.* arma interfecti, quae arguisse pater *cet. Erasm. inde dedit* Arminio territo, quem arcuisse *cet. Lips. in melius inchoavit* arma infert, *Voss. perfecit addens* hosti, quem arcuisse *cet. quem sequimur cum Grunero.*

cuiſſe pater et patria contenti erant; penetrat interius, aperit limites, vaſtat agros, urit domos, fundit obvios: maximaque cúm gloria [1], incolumi omnium, quos tranſduxerat, numero, in hiberna revertitur. Reddatur verum L. Aſprenati [2] teſtimonium. qui legatus ſub avunculo ſuo Varo militans, nava virilique operà duarum legionum, quibus praeerat, exercitum immunem tanta calamitate ſervavit; matureque ad inferiora hiberna deſcendendo [3], vacillantes iam cis Rhenum ſitarum gentium animos confirmavit. Sunt tamen, qui, ut vivos ab eo vindicatos, ita iugulatorum ſub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatemque exciſi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam. Lucii etiam Caeditii, praefecti caſtrorum, eorumque, qui una circumdati Aliſone [4] immenſis Germanorum copiis obſidebantur, laudanda virtus eſt. qui omnibus difficultatibus ſuperatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hoſtium faciebat inexſuperabiles, nec temerario conſilio, nec ſegni providentia [5] niſi,

1. *Sed Dio alia docet L.* LVI. *Sed noſter miles Imperatori ſuo tantum adulari paratus, res eius in tranſcurſu abſurde laudat.*

2. *De quo poſt Procoſ. Aſiae a.* 767 *vid. Tac. Ann.* I, 53 *extr. cet.*

3. *Praefuerat igitur legionibus in Germ. ſuperiori, et Varus utrique German. praeſederat.*

4. *Hodie* Elſen, *ad conſl. Almae et Lupiae, vicus. cf. Furſtenberg l. c. Mon.* I, *p.* 9 *et* 10.

5. *Vulg.* uſi. *Sed* MS. iuti.

ſpeculatique opportunitatem, ferro ſibi ad ſuos peperere reditum. Ex quo apparet, Varum ſane gravem et bonae voluntatis virum, magis imperatoris defectum conſilio, quam virtute deſtitutum militum, ſe magnificentiſſimumque perdidiſſe exercitum. Cum in captivos ſaeviretur a Germanis, praeclari facinoris auctor fuit Caldus Coelius, [1] ad vetuſtatem familiae ſuae digniſſimus: qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, ſeriem, ita illas illiſit capiti ſuo, ut protinus pariter ſanguinis cerebrique [2] in-
121 fluvio exſpiraret. Eadem et virtus et fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa animum imperatoris Tiberii fuit, quae initio fuerat. qui concuſſis hoſtium viribus claſſicis, peditumque expeditionibus, cum res Galliarum maximae molis, [3] accenſaeque plebis Viennenſium diſſenſiones, coercitione magis quam

1 *Sic* MS. *quod male emendatum in* vetuſtate fi ſ. d. *Sed* ad *h. l. vim comparandi habet*; *ut ap. Plaut. Mil.* IV, 1, 21. Ad tuam formam illa una digna eſt; *quod Taubm bene exponit* illa una digna eſt, cuius forma cum tua comparetur. *Sic Coelius digniſſimus, qui cum maioribus vetuſtae familiae ſuae comparetur.*

2. *Sic* MS. *idque ferre potius iubent Gruter. et Voſſ. quam quod a correctoribus natum eſt* profluvio. *Lipſ. malebat* effluvio. *Geſn in theſ. vocem dividi vult* in fluvio, *ut hic actum fluendi notet. Sed his non opus.* Influere *etiam dicuntur, quae ſimul et ubertim fluunt. cf. Geſn. theſ. voce* influens.

3. MS. accenſaque. *Vulg.* accenſaſque. *Nobis Voſſius praeit.*

poena molliſſet, et Senatus Populuſque Romanus, poſtulante patre eius, [1] *ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque eſſet, quam erat ipſi* [2], decreto complexus eſſet: (etenim abſurdum erat, non eſſe ſub illo, quae ab illo vindicabantur; et qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem): in urbem reverſus, iampridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Dalmatiſque egit triumphum. cuius magnificentiam quis miretur in Caeſare? Fortunae vero quis non miretur indulgentiam? quippe omnes eminentiſſimos hoſtium duces [3], non occiſos fama narravit, ſed vinctos triumphus oſtendit. quem mihi, fratrique meo, inter praecipuos praecipuiſque donis adornatos viros, comitari contigit. Quis non inter reliqua, 122 quibus ſingularis moderatio Tib. Caeſaris elucet atque eminet, hoc quoque miretur, quod, cum ſine ulla dubitatione ſeptem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare poteſt, quin ex Armenia recepta, et ex rege ei praepoſito [4], cuius capiti inſigne regium ſua manu impoſuerat, ordinatiſque rebus Orientis, ovans triumphare debue-

1. *Man. offenditur formula* aequum - quam *cet. et alii multum in hiſce nugantur. Feramus.*

2. *Int. patri, Aug.*

3. *Ut Batonem Deſitiatem, et Pinetem, cf. ſupra* c. 114 *ibique notata.*

4. *Tigrane, cf. quae ad ad c. 94 extr. notavimus.*

rit? et, Vindelicorum Rhaetorumque victor, curru urbem ingredi? fractis deinde post adoptionem continua triennii militia Germaniae viribus, idem illi honor et deferendus et recipiendus fuerit? et post cladem sub Varo acceptam, [1] ocius prosperrimo rerum eventu, eadem excisa Germania triumphum summi ducis adornare debuerit? Sed in hoc viro nescias, utrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an, quod
123 honorum temperavit. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. Quippe Caesar Augustus, cum Germanicum nepotem suum, reliqua belli patraturum, misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace, quae bello subegerat; prosequens eum, simulque interfuturus athletarum certaminis ludicro, quod eius honori sacratum a Neapolitanis est, processit in Campaniam: quamquam iam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia valetudinis senserat; tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneventi, ipse Nolam petiit: et ingravescente in dies valetudine, cum sciret, quis volenti, omnia post se salva remanere, accersendus foret, festinanter revocavit filium. ille ad patrem patriae exspectato revolavit maturius. Tum *securum se* Augustus praedicans, circumfusisque

1. *Sic Rhen. ed. Multi tentant infeliciter* MS. *teste Burer.* totius *hinc Perizon. maluit* toties. *Cetera spernimus.*

amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera, *nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusans*, subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Appuleioque Coss. septuagesimo sexto anno, animam coelestem coelo reddidit. Quid tunc ho- 124
mines timuerint, quae Senatus trepidatio, quae populi confusio, quis orbis metus, in quam arto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neque, cui vacat, potest. id solum voce publica dixisse habeo. Cuius orbis [1] ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus; tantaque unius viri maiestas fuit, ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Una tamen veluti luctatio civitatis fuit; pugnantis cum Caesare Senatus populique Romani, *ut stationi paternae succederet*; illius, *ut potius aequalem civem, quam eminentem liceret agere Principem.* tandem magis ratione quam honore victus est; cum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret: solique huic contigit, paene diutius recusare principatum, quam, ut occuparent eum, alii armis pugnaverant. Post redditum coelo patrem, et corpus eius humanis honoribus, nomen divinis honoratum, primum principalium eius operum fuit

1. *Intelligit imperium Rom.*

ordinatio comitiorum [1]; quam manu sua scriptam D. Augustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari praetoribus contigit; consecutis, ut neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Caesar commendaret
125 Tiberius [2]. Tulit protinus et voti et consilii sui pretium Respublica; neque diu latuit, aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando profecissemus. quippe exercitus, qui in Germania militabat, praesentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quae in Illyrico erant, rabie quadam et profunda confundendi omnia cupiditate, *novum ducem*, *novum statum*, *novam* quaerebant *rempublicam*. quin etiam ausi sunt minari, *daturos senatui*, *daturos principi leges*; modum stipendii, finem militiae sibi ipsi constituere conati sunt. processum etiam in arma, ferrumque strictum est; et paene in ultima gladiorum erupit impunitas: defuitque qui contra rempublicam duceret, non qui sequerentur. Sed haec omnia veteris imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter severam, praecipue [3] noxio-

1. *Cf. Tac. Ann.* I, 15. Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt *cet.*

2. *Cf. Tac. l. c. cap.* 14 *extr.* Candidatos praeturae duodecim nominavit *cet.*

3. *Ita bene iubet I. F. Gronov. Obss. L.* II, *c.* 23 *p.* 315 *pro vulg.* nostrorum,

rum ultionem, mitis aliorum castigatio, brevi sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore, ut pleraque [1] ignovit Germanicus: ita Drusus, qui a patre in id ipsum plurimo pridem igne emicans incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque severitate usus, ancipiti sibi tam re, quam exemplo perniciosa, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit; singulari adiutore in eo negotio usus Iunio Blaeso, viro nescias utiliore in castris, an meliore in toga: qui, post paucos annos proconsul in Africa, ornamenta triumphalia, cum appellatione Imperatoria,

quod iam Lips. tentaverat in auctorum. *Tac. Ann.* I, 29 *de seditione in Illyrico*. adiiciendos ex duce metus (*Drusi*) sublatis seditionis auctoribus. *sc. Percennius et Vibuleius interfecti c.* 30. Tum ut quisque praecipuus turbator, conquisiti. *De seditionis in Germ. oppressione vid. eundem c.* 44, 48 *et* 52.

1. *Turpissimum mendum, indignum Velleio, omnes inde a princ. obtinet edd. in quibus est* ignave. *Hinc vapulat auctor omnibus. Unus Boecl. vidit, quam indignum id foret assentatore Tiberii odium in German. benevolentia tegentis; quam periculosum, facere convicium Augusti nepoti Tib. filio adopt. Et sane ipse Vell. laudat heroem c.* 116 *et denuo infra c.* 129. *Boecl. igitur voluit* gnave. *Sed idem et sic non vidit, parum apte dici* pleraque gnave-coërcuit. *Sed German. non tam ipse severus egit, quam multa concessit, missionem, pecuniam cet. cf. Tacit. l. c.* 36, 40.

meruit [1]. ac Hispanias [2] exercitusque virtutibus celeberrimaque [3] in Illyrico militia, ut praediximus [4], cum imperio obtineret, [5] ut in summa pace, quiete continuit; cum ei pietas rectissima sentiendi, et auctoritas, quae sentiebat, obtinendi superesset [6]. cuius curam ac fidem Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimae, in maxima
126 parte Illyrici per omnia imitatus est [7]. Horum XVI. annorum opera quis, [8] universa in oculis animis-

1. *Postremus, cui Tiber. tribuit, ut a legionibus Imperator salutaretur, in honorem Seiani; cf. Tac.* III, 74 *extr.*

2. *Vulg.* exercitumque, *unde locus corruptus; quem in aliis partibus frustra, hoc vendo relicto, emendare tentarunt edd.* Exercitus *vim adiectivi habet, et est* exercitatus.

3. To que, *uti aliis, ita maxime nostro saepius geminatur pro* et - et. *Neque tentes* celeberrimusque *Saepius enim cas. sext. eadem vi usurpatur.*

4. *Paulo ante, ubi dixit, adiutorem fuisse Druso in coërcendis legionibus Pannon. Tac. l. c.* I, 16 castris aestivis tres simul legiones habebantur, praesidente Iunio Blaeso.

5. *Inserimus* ut, *quod vulg. abest et prioris verbi fine absorptum. Sic expeditus tandem locus est omni difficultate, qua laborabat,* Hispan. vero dubias fuisse, *refert Tac.* III, 44.

6. *Laudatur et Tac.* I, 18, 21, III, 73 *sq.*

7. *Id tribuit noster Seiano, ut tantum Blaeso addat laudis, quantum deminuit de laudibus P. Dolabellae; de quo vid. Tac.* IV, 23 - 26.

8. MS. *teste Burer. fracte* cum insera oculis animisque

que omnium, partibus eloquatur? Sacravit parentem suum Caesar non imperio, sed religione: non appellavit eum, sed fecit Deum [1]. revocata in forum fides; [2] summotae foro seditio [3], ambitio campo, discordia curia; sepultaeque ac situ obsitae iustitia, aequitas, industria civitati redditae; accessit magistratibus auctoritas, Senatui maiestas, iudiciis gravitas; compressa theatralis seditio; recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. Honorantur recta, prava puniuntur. suspicit potentem humilis, non timet: antecedit, non contemnit humiliorem potens. quando annona moderatior? quando pax laetior? Diffusa

omnium in partibus eloquatur. *Inde emendando aberrarunt edd. ad* cum inserta sint oculis animisque omnium in p. e. *Nos priora emendamus. Voss. vero in deleri iubet. Sic supra c.* 38. facilius ut, quae partibus notavimus, simul universa conspici possint. *Sic c.* III furentes eorum vires universas evasimus partibus. *Unde patet*, partibus opponi universa, *cf. infra c.* 129 *init. Plin. paneg.* 21, 3 contigit tibi, ut pater patriae esses, antequam fieres: eras enim in animis, in iudiciis nostris. *Scil.* in oculis animisque esse, *est conspici cum admiratione et caritate.*

1. *Tac. ad an.* 767 I, II Ceterum sepultura more perfecta, templum et coelestes religiones decernuntur; *et ad an.* 768 *c.* 54. Idem annus novas caerimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio *cet.*

2. *Sic bene Rhen. in margine. Vulg.* summota e.

3. *Cf. Suet. Tib. c.* 37.

in Orientis Occidentiſque tractus, et quidquid meridiano aut ſeptentrione finitur, Pax Auguſta per omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu ſervat immunes. Fortuita non civium tantummodo, ſed urbium damna Principis munificentia vindicat. Reſtitutae urbes Aſiae [1]: vindicatae ab iniuriis magiſtratuum provinciae: honor dignis paratiſſimus: poena in malos ſera, ſed aliqua. ſuperatur aequitate gratia, ambitio virtute. nam facere recte cives ſuos Princeps optimus faciendo docet; cumque
127 ſit imperio maximus, exemplo maior eſt. [2] Raro eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam ſuam uſi ſunt; ut duo Scipiones duobus Laeliis, quos per omnia aequaverunt ſibi; ut Divus Auguſtus M. Agrippa, et maxime ab eo, Statilio Tauro [3]. quibus novitas familiae haud obſtitit, quo minus ad multiplices conſulatus triumphoſque, et complura eniterentur ſacerdotia. etenim magna negotia magnis adiutoribus egent;

1. *Cf. Tac.* II, 47. *de* XII *urbibus Aſiae motu terrae collapſis, reſtitutis. et eſt numus Tiberii* CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS S. C.

2. *Iam pergit noſter in adulationem Seiani, qui potentiſſimus Tiberii adiutor evaſit, ſed idem fortunae ludibrium.*

3. *Praefecto urbi, biennio ante Aug. mortuo, quem laudat Tac.* VI, 11. *Neque adeo cum Lipſio tentes* Maximo Fabio, *quem comitem Aug.* (*cf. Tac.* I, 5) *non compares ad praefectum urbi, eumque ter Coſ. cet.*

[1] neque in parvo paucitas ministeria deficit [2]: interestque reipublicae, quod usu necessarium, et dignitate eminere; utilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Caesar Seianum Aelium [3], principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas veteresque et insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit atque habet: virum severitatis laetissimae, hilaritatis priscae, actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque assequentem omnia, semper [4] infra aliorum aestimationes se metientem, vultu vitaque
tranquillum, animo exsomnem. In huius virtu- 128
tum [5] aestimatione iam pridem iudicia civitatis cum iudiciis principis certant. neque novus hic mos Senatus populique Rom. est, putandi, quod opti-

1. *In dicto hoc haerent. Videtur velle: et pauci rebus non parvis gerendis pares reperiuntur. Ita convertas* neque in parvo *in* et in magno *f. in magnis negotiis. Sed certe nil mutandum.*

2. *Vulg.* defecit. *Nostrum et volunt alii.*

3. Originem eius, mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, *versus expedit Tac.* I, *sq.*

4. *Cave mutes in* intra.

5. *Voss. verum putat* aestimationem, *quod est in* MS. *Vulg. a Rhen.*

mum ſit, eſſe nobiliſſimum. nam et illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC, [1] Ti. Coruncanium, hominem novum, cum aliis omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo, ad principale extulere faſtigium; et equeſtri loco natum Sp. Carvilium, et mox M. Catonem, novum [2] etiam Tuſculo, Urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in conſulatus, cenſuras, et triumphos provexere; et, qui C. Marium, ignotae originis [3], uſque ad ſextum conſulatum ſine dubitatione Romani nominis habuere principem; et qui M. Tullio tantum tribuere, ut paene aſſentatione ſua, quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Aſinio Pollioni negaverunt, quod nobiliſſimis ſummo cum ſudore conſequendum foret; profecto hoc ſenſerunt, in cuiuſcumque animo virtus ineſſet, ei plurimum eſſe tribuendum. Haec naturalis exempli imitatio ad experiendum Seianum, Caeſarem; ad iuvanda vero onera Principis, Seianum protulit; Senatumque et pop. Rom. eo perduxit, ut quod uſu optimum intelligit,
129 id in tutelam ſecuritatis ſuae libenter advocet. Sed,

1. MS. Ti. *quod Tiberium denotat.*

2. *Voſſ. vult* et a Tuſculo. *Nos malumus* novum ex Tuſculano urbis inq.

3. *Equeſtris tamen, ſi verum eſt, quod ſupra c.* II *legitur. vide Marium gloriantem, ſibi ex virtute nobilitatem coepiſſe, ap. Sall. Iug. c.* 85 *p.* 173 *ed. Bip.*

proposita quasi universa principatus Ti. Caesaris forma, singula recenseamus. Qua ille prudentia [1] Rhascupolim, interemtorem fratris sui filii Cotyis, consortisque eiusdem imperii, evocavit! [2] quam celeriter ingratum et nova molientem oppressit! singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponii, consularis viri, nati ad omnia, quae recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semper [3], quam captantis gloriam. Cum quanta gravitate, ut senator et iudex, non ut Princeps, et [4] Caesar causas praesens audit! Quibus praeceptis instructum Germanicum suum, imbutumque ru-

1. *Tacit. II*, 64 Igitur *Rhescuporim* quoque Thraciae regem astu aggreditur, *et haec est verior scriptura. Dio* Ῥασκυπορις.

2. *Verba* quam - oppressit, *errore librarii loco mota, monente Rhen. huc restituimus. historia favet ap. Tac. l.c. Vulgo autem interponuntur verbis* audit - quibus praeceptis. *Unde multa sunt somnia edd. quis ille fuerit* ingratus? *Erasm substituerat* Libonem (*de quo tamen noster demum c. sq. dicit*) ingratum; *Boecl. maluit* Clementem (*Agrippae Postumi servum, de quo Tac. II*, 39). *Sed quomodo hunc* ingratum *dicas in Tiberium? neque is palam punitus est.*

3. Magis *frequenter omittitur.*

4. *Vulg.* et causas pressius audit, *in quo tanquam in eodem luto haesitant edd. cuncti. Inserimus* Caesar, *quod periit per* causas. *Sic bina binis respondent. Lips. vero, Criticorum vulgo sapientior, pridem voluit* praesens *pro* pressius, *quod nemo nisi inepte exposuit. cf. ad rem Tac. l.* 75 *Suet. Tib.* 53.

dimentis militiae ſecum actae, domitorem recepit Germaniae? Quibus iuventam eius exaggeravit honoribus, reſpondente cultu triumphi rerum, quas geſſerat, magnitudini? Quoties populum congiariis [1] honoravit, ſenatorumque cenſum, cum id Senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit [2], ut neque luxuriam invitaret, neque honeſtam paupertatem pateretur dignitate deſtitui? Quanto cum honore Germanicum ſuum in tranſmarinas miſit provincias? Qua vi, conſiliorum ſuorum miniſtro et adiutore uſus Druſo filio ſuo [3], Maroboduum inhaerentem occupati regni finibus, pace maieſtatis eius dixerim, velut ſerpentem abſtruſam terrae, ſalubribus conſiliorum ſuorum medicamentis coëgit egredi! quam illum et honorate, nec ſecure continet [4]! Quantae molis bellum [5], principe Galliarum ciente Sacroviro, Floroque Iulio, mira celeritate ac virtute compreſſit, ut ante populus Rom. viciſſe ſe, quam bellare, cognoſceret; nuntioſque periculi victoriae praecederet nuntius. Magni etiam terroris bellum Africum, et quotidiano auctu maius, auſpiciis conſiliiſque

1. *An* oneravit; *ut augeatur res. Notum eſt* laetitia onerare.

2. *Cf. Tac. II*, 37 *Hortenſii vero paupertatem et preces aſpernatus eſt; quod noſter mala excuſatione tegere cupit.*

3. *Cf. Tac. III*, 11.

4. *Sc. Ravennae cf. Tac. II*, 63.

5. *Tac. III*, 40 *ſqq.*

eius brevi ſepultum eſt. Quanta ſua ſuorumque 130
nomine exſtruxit opera? Quam pia munificentia ſuperque humanam evecta fidem templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeii munera abſumta igni reſtituit [1]! qui quidquid umquam claritudine eminuit, id veluti cognatum cenſet tuendum. Qua liberalitate cum alias, tum proxime incenſo monte Coelio, omnis ordinis hominum iacturae, patrimonio ſuccurrit ſuo [2]! Quanta cum quiete hominum, rem perpetui praecipuique timoris, ſupplementum, ſine trepidatione delectus, providet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum [3] cum Averrunco Deo de his queri; quid hic meruit, primum, ut ſcelerata Druſus Libo iniret conſilia [4]; deinde, ut Silius [5] et Piſo [6]: quorum alterius dignitatem conſtituit, auxit alterius? Ut ad maiora tranſcendam, quamquam et haec ille duxit maxima; quid, ut iuvenes amitteret filios [7]?

1. *Cf. Tac. VI*, 45.

2. *Cf. eund. IV*, 65.

3. MS. *et ed. pr. fracte et turbate* auro Deo cum de his queri. *Inde correctores delapſi dedere* apud aures Deorum de h. q. *quam vulg. varie tentarunt edd. Noſtra lectio a veſtigiis* MS. *minus aberrat.* Deus Averruncus, *eſt quem precari ſolebant,* ut pericula avertat, *docentibus Varrone de L. L. VI, 5 et Gellio V, 12. extr.*

4. *Tac. II*, 27 *ſqq.*

5. *Idem IV*, 18 *ſq.*

6. *Idem III*, 8 *ſqq. Inſidiator Germanici.*

7. *Druſum, filium a ſe genitum Tac. IV*, 8 *(At is*

quid, ut nepotem ex Druso suo [1]? Dolenda adhuc retulimus: veniendum ad erubescenda est. Quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus laceravit animum eius? quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagravit incendio, quod ex nuru [2], quod ex nepote [3] dolere, indignari, erubescere coactus est? Cuius temporis aegritudinem auxit amissa mater eminentissima [4], et per omnia deis quam hominibus similior femina; cuius potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis. Voto finiendum volumen

131 sit. *Iupiter Capitoline, et auctor ac stator Romani nominis, Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, et quidquid Numinum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, servate, protegite hunc statum,* [5] *hunc Principem, eique functo longissima statione*

Seiani dolo periit) et Germanicum adoptivum, qui a Pisone eiusque uxore Plancina circumventus obiit.

1. *Alterum ex gemellis, qui quadrimus obiit Tacit. IV,* 15.

2. *Agrippina Germanici uxore, honesta femina, sed animi ingente et infensa Tib. quam arguere adulatorem Tiberii non pudet.*

3. *Filio Germanici, Nerone cf. Tac. V,* 3 *sqq.*

4. *Iulia Aug. obiit a.* 782 *cf. Tac. V,* 1.

5. *Vulg.* hanc pacem; *quibus verbis addi voluit Lips.* hunc principem, *ut ei responderet* eique. *Sed Voss. rectius censet, haec verba pro illis legenda esse. A*

mortali destinate successores quam serissimos; sed eos, quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam huius suffecisse sensimus; consiliaque omnium civium aut pia [1] ***.

voce principem *per compendium scripta facilis lapsus fuit ad* pacem.

1. *Rhen. supplebat* aut pia, aut salutaria, in felicem exitum pervehite. *Voss. autem malebat*, aut pia fovete, aut impia opprimite.

F I N I S.

INDEX HISTORICUS.

A.

B.

INDEX

P.

Q.

R.

S.

INDEX

FINIS.

